




SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI HISPANIARVM INFANTIS S. R. E. CARDINALIS TRIVMPHALIS INTROITVS IN FLANDRIÆ METROPOLIM GANDAVVM.

AVCTORE

GVILIELMO BECANO S. I.



ANTVERPIÆ,

Ex Officinâ IOANNIS MEVRSI.


ANNO M. DC. XXXVI.



ANTVERPIÆ ex officina IOANNIS MEVRSI. *Anno* 1636.



HOC PRÆSIDE RERVM
BELGARVM POPVLIS SVPERI FAVISTIS ABVNDE.





QVAM FORTI PECTORE ET ARMIS!

PHILIPPO
REGI
CATHOLICO.

POTESTAS Regia Diuinæ imago eſt. Eò in Te illuſtrior, quò maior. Dei imperio ſubſunt omnia, tuo quamplurima. Ille per omnia diffuſus, Tu nominis tui maieſtate orbem comples maximus ſimul & optimus. In homine animus, in animo ratio, in cælo Deus, in regno tuo quod præſtantiſsimum eſt imperat. Plurima adeptus, pluribus dignus es. Imperio maximus, maior exemplo. Diuinæ poteſtatis particeps, hominem Te & hominibus imperare meminiſti. Vt ingentis nauis gubernatori opes quas vehit non ſuperbiæ, ſed curæ materia ſunt; ita regendi munus non elatum Te, ſed ſollicitum facit. Sic honorem geris, vt onus credas. Regem te non putas, niſi quos regis ſerues. Felix regio cui Te non amare tantùm, ſed & videre contingit! At neque cælo abſcedit Sol, & tamen vniuerſa illuſtrat. Suos ille radios, Tu tua beneficia quaquauerſum dif-

** fun-

fundis. Ipſum Deum cuncta moderantem non cernimus, ſed ſentimus. Quid loquor? non totus à nobis abes. Magnam tui partem in FERDINANDO habemus. Diuidere inter Vos beneficia ſua Deus immortalis non voluit. Quod alterutri præſtitit, amborum eſt. Tua ſolius erant ſceptra, tua regendi cura: hanc cum Fratre diuiſiſti. Virtutum tuarum participem in partem oneris vocaſti: in hoc quoque Deo ſimilis, qui ne cælos quidem ſuos ſolus regit. In FERDINANDO ergo beneficium tuum agnoſcimus, poteſtatem veneramur. Pro Te illum, vel potiùs in illo Te ſuſcepimus. Quos illi honores exhibere conati ſumus, Tibi præſtitos arbitramur. Exiguos illos, ſed magni erga Te ſtudij amoríſque indices. Tu vt eos ſtylo calamóque adumbratos videas, demitte Maieſtatem Tuam: & ſine, vt quæ æui iniuriis obnoxia ſunt, à nomine Tuo perennitatem accipiant. Ita vouemus

MAIESTATIS TVÆ

Deuotiſsimi Clientes

PRÆTOR, CONSVL, SENATVSQVE
Gandauenſis.

INGREDIENTE VRBEM
SERENISSIMO FERDINANDO
MAGISTRATVM GESSERVNT.

PRIMARIVS GANDAVENSIVM PRÆTOR

ILlustrissimus Dominus GVILIELMVS DE BETTE, Marchio de Lede, Dominus de Hanghereau, Peronne, &c. Commendator Ordinis S. Iacobi, pro Rege Catholico Legionis Germanicæ Tribunus, deinde Ducatus Limburgici & Ditionis Vltra-Mosanæ Gubernator, &c.

PRIMI SVBSELLII CONSVL

Nobilis & Generosus Dominus IVSTINIANVS TRIEST, Eques, Dominus de Ruddershoue, Louendeghem, Belleghem, Oueracker, Laethem, &c.

SENATORES

Nobilis Dominus PHILIPPVS WYTS, Dominus de Schothoucke.
Nobilis Dominus ADRIANVS PROVOST, dictus DE BASSERODE, Dominus de Enghien.
Nob. D. IACOBVS BORLVVT, Eques, Dominus de Schoonberghe.
Nob. D. NICOLAVS VAN ROYEN.
Nob. D. EMANVEL BALLET, Eques, Dominus de Leeuvvenburch.
Nob. D. GVILIELMVS VANDER MEERE, Dominus de Asperen & Singhen.
Nob. D. REYNHALDVS DIERKENS.
D. PASCHASIVS VANDER HELST.
D. IOANNES GALLE.
D. LVDOVICVS VAN HOOCHBROVCK.
D. FRANCISCVS BAERT.
D. GVILIELMVS VANDEN BOGAERT.

PENSIONARII

Magister IO. BAPTISTA SCHORMAN.
Magister IOANNES VANDER SPEETEN, Dominus de Eeckeloo.
Magister IOANNES BAERS.

SECRETARII

D. PETRVS ADRIANSSENS VENEDAEL.
Magister GERARDVS VAN OVERWAELE.
D. IACOBVS SNOVCK.
Magister LIVINVS DOEDENS.
D. ANTONIVS VANDER LVYTHEN.

SECVNDARIVS GANDAVENSIVM PRÆTOR

Nobilis Dominus PHILIPPVS DE STOPPELAIRE.

SECVNDI SVBSELLII CONSVL

Nobilis Dominus LVDOVICVS DE BLAZERE, Eques, Toparcha de Ydevvalle.

SENATORES

Nob. D. MARTINVS SNOVCART, Eques, Dominus de Zomerghem.
Nob. D. IACOBVS BOSSIER.
Nob. D. PETRVS VANDER VICHTE.
Nob. D. FERDINANDVS SCHORMAN.
Nob. D. ANTONIVS VAN ZEVECOTE.
Nob. D. IOANNES BORLVVT, Dominus de Assenburch.
Nob. D. IOANNES VILAIN.
D. IOANNES CODDE-SMET.
D. IOANNES EECKMAN.
D. LAVRENTIVS VANDER HAEGHEN.
D. LIVINVS DE POORTERE.
D. GERARDVS VANDEN PVTTE.

PENSIONARIVS

Magister IACOBVS DE GROOTE.

SECRETARII

Nobilis D. GVILIELMVS DAMAS.
D. THOMAS HEYLINCK.
Magister ROCHVS CRVYL.
D. ADRIANVS VANDER MANDERE.
Magister FRANCISCVS COOMAN.

QVÆSTORES

Nobilis D. PHILIPPVS VOLCART, Dominus de Weldene.
D. GVILIELMVS DE CNVVDT, operum publicorum Præfectus.
D. MICHAEL DE RVDDERE, Quæstor exagogicus.

Et

Et hi quidem eos honores, quos hîc describimus; Principi Cardinali exhibuerunt; typisque vulgari curarunt: sed quòd operarum tarditate res lentiùs procederent, Magistratum intereà inierunt, atque à decessoribus acceptum Opus suæ Maiestati humillimè offerunt

PRIMARIVS GANDAVENSIVM PRÆTOR

Perillustris & Generosus Dominus ALBERTVS HVBERTVS DE GVERNOVAL, Eques, Baro de Eckelsbeke, Catholicæ Regiæ Maiestati à Consiliis bellicis.

PRIMI SVBSELLII CONSVL

Nobilis & Generosus Dominus GVILIELMVS DE BLAZERE, Eques, Dominus de Hellibus, Castere, &c.

SENATORES

Nobilis Dominus NICOLAVS SERSANDERS.
Nob. D. FRANCISCVS BORLVVT, Dominus de Boucle.
Nob. D. IACOBVS DE NORMAN, Eques, Dominus de Oxelaere, S. Aldegonde, &c.
Nob. D. IOANNES DE GRVYTERE, Dominus de Auyn.
Nob. D. CAROLVS DE WATRIPONT, Dominus de Basseghem.
Nob. D. GVILIELMVS MEYNAERT.
Nob. D. IOANNES DE KETHVLLE, Dominus de Volckeghem.
Nob. D. GVILIELMVS DE VVLDER, Dominus de Dutzeele.
Magister IOANNES STALINS, Medicinæ Doctor.
D. PETRVS LETTAERT.
D. FRANCISCVS DELVAEL.
D. IVDOCVS GOETHALS.

PENSIONARII

Magister IOANNES VANDER SPEETEN, Dominus de Eeckeloo.
Magister IOANNES BAERS.
Magister IACOBVS DV LAVRY.

SECRETARII

D. PETRVS ADRIAENSSENS VENEDAEL.
Magister GERARDVS VAN OVERWAELE.
D. IACOBVS SNOVCQ.
Magister LIVINVS DOEDENS.
D. ANTONIVS VANDER LVYTHEN.

SECVNDARIVS GANDAVENSIVM PRÆTOR

Nobilis Dominus PHILIPPVS DE STOPPELAIRE, Dominus de Portes.

SECVNDI SVBSELLII CONSVL

Nobilis Dominus IOANNES BAPTISTA DE RODOAN, Eques, Dominus de Biese, Wolfs-haghe, &c.

SENATORES

Nob. D. GISLENVS NIEVLANDT, Eques, Dominus de Lerberghe.

Nob. D. GVILIELMVS VANDER MEERE, Dominus de Asperen & Singhen.

D. IOANNES DE GRYSE.

Nob. D. CAROLVS HELLYN, Dominus de Wassenhoue.

Nob. D. IOANNES VAN WYCKHVVS, Dominus de Wyckhuus.

Nob. D. ADRIANVS BORLVVT, Dominus de Eenhoode.

Magister IACOBVS VAN BREVSSEGHEM, Medicinæ Doctor.

Nob. D. CHRISTOPHORVS VILAIN, Dominus de Vergier.

D. FRANCISCVS VAN AVWEGHEM.

D. PAVLVS TOEBAST, Liuini F.

D. MAXIMILIANVS D'HONDT.

D. IACOBVS VANDER HAEGHEN.

PENSIONARIVS

Magister IACOBVS DE GROOTE.

SECRETARII

Nobilis D. GVILIELMVS DAMAS.

D. THOMAS HEYLINCK.

Magister ROCHVS CRVYL.

D. ADRIANVS VANDER MANDERE.

Magister FRANCISCVS COOMAN.

QVÆSTORES

Nob. D. ANTONIVS VANDEN HEEDE, Dominus de Grammene.

D. GVILIELMVS DE CNVVDT, operum publicorum Præfectus.

D. MICHAEL DE RVDDERE, Quæstor exagogicus.

TRIVM-

TRIVMPHALIS INTROITVS
FERDINANDI
HISPANIARVM INFANTIS
S. R. E. CARDINALIS
IN
FLANDRIÆ METROPOLIM
GANDAVVM.

RAVIBVS diuturníſque bellis feſsi Belgarum populi optabant eum prouinciis ſuis Moderatorem dari, qui calamitatibus illarum ſubleuandis cum dignitate generis parem animi virtutem adferret; gnari vſúque ſuo edocti, terrarum Principibus, & verò etiam Præſidibus, quorum regendorum poteſtas tradita eſt, felicitatem quoque commiſſam eſſe, ac quale ſit illorum imperium, talem populi eſſe fortunam. *Belgæ Moderatorem optant* Accendebat id deſiderium intempeſtiua mors Ser.^mæ Archiducis ISABELLÆ, quæ difficillimis temporibus prouincias, velut in mediis tempeſtatibus nauem, optima gubernatrix deſtituerat. *mortuâ Iſabellâ,* Accedebat & aliud malum, dubites timendúmne magis, an deteſtandum: labare cœperat fides Procerum, paucorum quidem, ſed quos (præterquàm quòd, vbi ſemel auerſa voluntas eſt, facilè vires ad nocendum modúmque inuenit) Regis benignitas haud parum potentes fecerat. *labante nonnullorum fide.* Hinc hoſti fiducia, nobis periculum creſcebat, eò grauius triſtiúſque, quòd ab iis creabatur, à quibus auerti debuiſſet. Et ſanè, niſi vnius alteriúſve prauis conſiliis longè plurimorum integritas, ac totius populi conſtantia obſtitiſſet, verendum erat ne idem ille turbo totum Belgium inuolueret, qui iam aliquot munitiſsimas vrbes abripuerat. Sed habet, vt ille ait, has vices mortalis conditio, vt aduerſa ex proſperis, ex aduerſis ſecunda naſcantur. *Plin. in paneg.* Occultat vtrorumque ſemina Deus, & pleræque bonorum malorúmque cauſæ ſub diuerſâ ſpecie latent.

Cùm eo ſtatu Belgium eſſet vt extremam omnes calamitatem timerent, ſubitò Deus fortunam vertit; & quæ res exitium allaturæ videbantur, per eas aduenit nobis, vel certè accelerata ſalus eſt. Siquidem perſpectis hiſce periculis PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum Rex, pro eo quo Belgicam, Maiorum ſuorum procreatricem atque altricem, complectitur amore, Fratrem ſuum FERDINANDVM, iam tum, cùm adhuc ſaluæ res eſſent, ad eius regimen deſtinatum, nunc illis ad ruinam inclinantibus mittere properauit; *Rex FERDINANDVM mittit.* vt is acceptis malis medelam faceret, imminentia auerteret, & relictarum ab amitâ prouinciarum imperium ſuſciperet ſimul & tutelam. Viderunt tunc Belgæ quàm Regi ſuo curæ eſſent, & propè erat vt gauderent miſeros ſe fuiſſe. Spem augebat FERDINANDI indoles & aduenturæ cum illo felicitatis omen. *Belgarum de eo ſpes.* Cùm enim (vt principio memorabam) mortalium ſecundas res aduerſáſque per eorum qui præſunt manus ac conſilia moderetur Deus, quis ambigeret iis iam populis fauere Numen velle, ad quos ille rector mitteretur, cui in regnatrice familiâ genito regendi artes ipſa naſcendi conditio dediſſet; ad benefaciendum verò ſuis nec ingenita bo-

Vota, nitas voluntatem, nec potentiſsimi fratris amor facultatem deeſſe pateretur? Vota ergo pro eius aduentu cuncti facere, precaríque, non vt fortunatus modò, ſed etiam vt celer eſſet. Votis ſollicitudinem addere, de itineris progreſſu in dies ſciſcitari, ad famam appropinquantis reſpirare.

Publica lætitia, Vt autem felix ille dies illuxit, quo fines noſtros incolumis attigit, tum demum incredibili gaudio efferri; grates Deo laudéſque agere; ſibi de optimo, religioni de pientiſsimo, patriæ de fortiſsimo Principe gratulari: vtque iucundior poſt ægritudinem ſanitatis ſenſus eſt, ipſam calamitatum memoriam ad oblectationis incrementum renouare. Et verò eos non vehementiùs quàm iuſtiùs lætari Germania documento erat. In eâ FERDINANDVS oſtenderat quid Belgio præſidij, quid opis adferret. Atque vti aliquando nubibus obducto, quà patet, cælo, mox aliquâ ſui parte illuſtrato, diffuſura ſe in alias quoque plagas arguitur ſerenitas; ita FERDINANDI aduentu, tamquàm benigniſsimi ſideris exortu, diſſipatis in Germaniâ nebulis, ſua quoque Belgio lux, ſua mox temperies reditura ſperabatur; eóque ampliùs quòd Germanis commodatus, Belgis donatus videretur; per illos tranſiuiſſet, ad hos moraturus veniret, plus aliquid, vt aiebant, ſuorum cauſsâ præſtaturus, *Occurſus.* quàm feciſſet amicorum. Hinc ingens illa in occurſum venientis effuſa multitudo; hinc integrarum pænè ciuitatum in agros, quà tranſiturus erat, commigratio, & ad Brabantiæ fines non tam hominum quàm populorum confluxus. Mouit FERDINANDVM obuiantium turba, & in ipſo prouinciæ limine occurrens lætitia. Ergo non minorem ille ſpem capere, quàm adferre: rerum præſentium ſenſus præſagium futurarum erat.

Mox vt Bruxellas conſuetam Principum Moderatorúmque Belgij ſedem pridie Non. Nouembris venit; vndique conuenêre qui Ordinum, Ciuitatúmque ſimul gratulationes *A Flandriæ Ordinibus ſalutatur.* exponerent, ſimul obſequia deferrent. Pro Flandris iuêre Ordinis ſacri, & quatuor Membrorum (vt vocant) Legati. Nobilis vir D. d'Eeckeloo Gandauenſis Syndicus, ad quem pro Membri ſui dignitate dicendi munus pertinebat, in hæc eum verba affatus eſt:

SERENISSIME PRINCEPS,

Communis gaudij, quod Regia Celſitudo Tua vniuerſis attulit, quantam in partem Flandri venerimus, cùm maximè teſtatum cupimus, eloqui non poſſumus. Verba affectui deſunt. Vtque Regis in nos fauor ſupra ſpem votúmque eſt, ita lætitiæ magnitudo modum excedit. In tuto poſitam prouinciam noſtram credimus, dum Tibi commiſſa eſt: ſecuri ſumus, dum Tu illius curam geres. Quid enim poſt Nordlingam aut tam formidabile ſit, quod Te præſente timeamus, aut tam arduum quod à virtute tuâ non ſperemus? Graues calamitates & grauiores metus, dum abeſſes, paſsi ſumus: ſed nimirum minùs pateret quantum Tibi deberemus, ſi priùs veniſſes. Ex præteritis incommodis præſens beneficium æſtimamus: & vt cæli temperiem turbines tempeſtatéſque, ita huius temporis felicitatem quæ præceſſerunt mala commendant. Atque vtinam non agnoſcere tantùm, verùm & referre gratiam poſſemus! Sed optabile debitum eſt, ſupra quàm ſoluendo ſis, bonis Principibus obſtringi. Si ſatis gratis eſſe non licet, certè, quod licet, dabimus operam ne aut Regem demandatæ Tibi prouinciæ, aut Te ſuſceptæ pœniteat. Sub curâ veſtrâ vobis viuemus: amori, quo nos complexi eſtis, obſeruantiam & fidem rependemus. Hactenus vt illam probaremus, nec tempus nobis, nec, vt ſperamus, nos tempori defuimus: at modò cùm eorum quæ agemus inſpectorem Te fore intelligimus, præterquàm quòd tali teſte lætamur, etiam incendimur, vt, quam aduerſis rebus ſeruauimus, redditâ per Te felicitate

tate

tate augeamus voluntatem. Sic affecti oramus Regiam Celſitudinem Tuam, vt quos ita ſibi deuotos videt, etiam commendatos habeat; & cùm obſequia acceptauerit, curam, quam ſuſcepit, ſuſtinere ne intermittat.

Dicentem audiuit FERDINANDVS eo vultu qui eximiam animi benignitatem teſtaretur, atque eius beneuolentiæ, quam modò experimur, fiduciam faceret. Sed non intra verba Flandrorum gratulatio ſtetit. Quadringenta inſuper nummûm millia non inſuetâ liberalitate obtulerunt, opportunum ad belli neceſsitates ſubſidium, & eò non ingratum.

Digreſsis inde Legatis noua mox iniicitur cura. Intelligunt Principi in animo eſſe præcipuas Belgij ciuitates propediem adire. Docent eâ de re ſuos: vt dignitati conſulant hortantur. Multa ipſi pro muneris, quod gerebant, auctoritate curant. Id agunt vt, quam mouerant, ſuſtineant ac tueantur exſpectationem. Quid tamen magnoperè parari poſſet duriſsimo anni tempore? voluntati tempeſtas obſtabat & ſæuiens præter morem hyems. At nihil adeò difficile eſt, quod non amori cedat: & magnum adferentibus ſtudium, pro paruo omnis ducitur labor. Quod ſi frigoris vis inſolentem cæli noſtri FERDINANDVM retardatura non erat, quò minùs ſuorum viſendorum ſtudio viæ ſe committeret; cur ciuitatum in illo excipiendo conatus impediret? Gandauenſes inprimis neque ſumptui, neque labori parcendum ducere: ab ipsâ difficultate animos ſumere: ciuitatem Senatus, Senatum Conſul inſtigare: nihil omittere quò minùs Flandricarum vrbium prima tantùm antecederet alias magnificentiâ, quantùm præcedit dignitate. *Gandauenſes ad ſe venturo honores parant.*

Iam curâ & induſtriâ tantum effectum erat, vt propter auræ inclementiam moles difficiliùs quidem, ſed non multò tardiùs aſſurgerent; cùm ſuperatâ, quam timuerant, moleſtiâ maior ex inſperato ſuperuenit. Spectabat iam tum Gallus ſi quem ſibi aditum in Belgium aperiret fortuna, pacique nuntium miſſurus, id agere dicebatur vt priùs occuparet aliquid, quàm oppugnaret. Hinc neſcio quod periculum finibus noſtris impendere creditum eſt. Augebant timorem quæ ad Caletum conuenerant copiæ. FERDINANDVS haud ignarus inter conſilia parantium & gerentium bella parum nonnumquàm intereſſe, maturat in Flandriam iter, diſcuſſurus præſentiâ ſuâ vel periculum vel periculi metum. Ea celeritas quàm patriæ neceſſaria, tam Gandauenſibus incommoda erat. Concidebant animi cùm cernerent maximas expenſas fruſtrà eſſe; nihil in tempore parari, nihil ad perfectionem adduci poſſe. Sed ea FERDINANDI benignitas eſt, vt ſuorum non commodis modò, ſed etiam votis conſilia ſua attemperet. Senatui nuntiat, Gandauum ſe venire, non vrbis inuiſendæ, ſed tranſeundæ causâ. Si quid ſpectare ſe velint, in reditum parent. Simul hoc, ſimul venire Principem adfertur. Sed nihil de triumphi ſplendore decerpi placuit. Solis armatorum ciuium collegiis obuiandi negotium datur. Senatus ad pontem S. Georgij, quo Scaldis, quà caſtrum præterfluit, committitur, intrantem excepit, claues de more obtulit, ad palatium CAROLI V. Cæſaris incunabulis celebre deduxit. Hîc ab Ordinibus Conciliòque ſalutatur. Paria ac nuper Bruxellis officia pari benignitate admittit. Poſtridie, quò res vrget, iter inſtituit. Tum verò magnoperè & ſtudium ciuium & cura Senatus aucta eſt. Illud Principis, vt fit, aſpectus accenderat; hanc breuitas temporis, quo abfuturus erat, intendebat. Diligentia ex neceſsitate creſcit: dies noctéſque operibus inſiſtitur; vt quoniam Gandauenſium votum anticipare cogatur, ea quidem perficiant quæ poſsint, quæ verò informata relinquere neceſſe ſit, pro iis conatum exhibeant. Alia interim quæ vel triumpho ornamentum, vel Principi oblectationem adferre poſsint, ſtrenuè accurent. *Periculum à Gallo.* *FERDINANDVS in Flandriã tendit.* *Gandauo tranſit.*

Gandauum,Flandriæ caput,nobilibus familiis & viris præ ceteris abundat. Eos omnes, tum qui in vrbe, tum qui in agro vicino ſedem habent, Senatus inuitat, vt v.Kal.Februar. Principem excepturi conueniant,eodemq́ue ſecum munere fungantur. Gaudebant abs ſe peti Nobiles in quod ſponte ferebantur. Adfuêre ad condictum diem magno numero, ſuperboq́ue cultu. Alij auro argentoq́ue fulgebant; alios ætas grauitaſq́ue & exacti honores honeſtabant: omnes ad publicam magnificentiam priuatum aliquod decus adferebant. Ea res quantum ad pompam, tantum altera ad voluptatem fecit. Via,quæ Gandauum Brugis fert,ſita eſt ad peramplam foſſam,quæ,quoniam ſub Ser.mo ALBERTO ducta eſt,Albertina dicitur. Ea gelu durata opportunitatem ſpectaculo dedit,quod extra Belgium non viſum, nouitate placuit. Veniebat ſecundùm ripam Princeps: appropinquanti occurrit in cohortis militaris ſpeciem turba iuuenum ita glaciem ferreis talaribus percurrentium, vt equi curſum præuertere celeritate poſſent. Præter pernicitatem ordo mirabilis erat. Seu recto curſu agerentur,ſeu ſe inflecterent, ſeu ordines miſcerent, diceres in terræ ſolo firmis veſtigiis ferri. Hoc ex tot hyemis incommodis elici commodum potuit. Ceterùm dies illa quamuis aſperante aërem gelu frigida, tamen pro tempore ſerena fuit. Innubi cælo ſplendebat Sol,& ſilentibus ventis aura leniùs aſpirabat.Quaſi per FERDINANDI aduentum poſt atros bellorum turbines aduentura Flandriæ ſerenitas ac tranquillitas portenderetur. Sed multò magis,quàm cæli temperies,mitigabat frigus ciuium erga Principem ardor,Principis in ciues beneuolentia.

Nobilitas, vt reducem excipiat, conuenit. *Diſcurſus in glacie.* *Cæli temperies.*

Vt in conſpectum venit eorum qui ex vrbe ſeſe obuiàm ferebant, relictâ rhedâ equum conſcendit.Ita conſpicuus ſenſim & placidè pro reſpectantium voto progreditur,eâ vultus amœnitate,vt cùm oculos omnium in ſe conuertiſſet, animos ſui caritate inflammaret. Magna ſequebatur Procerum,Patriciorum,Nobilium turba; magna ex vrbe occurrebat. Aderant cohortes equitum cataphractorum duæ honoris & præſidij ergô. Vicinos campos auida ſpectandi multitudo complebat: armati diſpoſitiq́ue inde ad portam ciues exercitus ſpeciem præbebant: ab omni parte litui tubæq́ue concinebant : perſonabat plauſibus ac gratulationibus cælum: ex vrbe & mœnibus indices lætitiæ voces efferebantur: denique concurſus hominum, veſtium ſplendor, armorum fulgor, tot nobilium virorum conſpectus, & ſupra omnia exoptatiſsima Principis præſentia ſpecieſq́ue vel hoſtibus amabilis, incredibile quantùm animos omnium afficeret, erigeretq́ue. Nullus tum publicorum malorum,quorum depulſorem videbat,nullus priuatorum recordabatur. Vtq́ue ægrè ſe amoris impetus moderatur,quaſi certamen eſſet quis eum primò, quis ſæpiùs videret, inſtare, premere, ſuſpicere, exclamare, inuicem ab humo ſuſtollere, ferri, referri vndarum inſtar turbæ. Donec tandem quiete & audientiâ factâ Gandauenſis Syndicus rurſus in hunc modum perorauit:

Ad vrbē appropinquat.

SERENISSIME PRINCEPS,

Cùm nuper Regiam Celſitudinem Tuam in vrbe noſtrâ ſubſiſtere publica cura non ſineret, eò grauior nobis repentinus ille tuus diſceſſus fuit, quò maiorem de præſentiâ tuâ lætandi cauſam habemus.Alij Te vt moderatorem defenſoremq́ue ſalutis ſuæ excipiunt,nos pænè etiam vt indigenam. Dat hoc patriæ ſuæ, dat ciuibus Auguſtiſsimæ memoriæ CAROLVS Imperator. Neque enim neſcis illum,quo gaudes,originis tuæ auctorem popularem noſtrum eſſe, & ad tot gentium imperium ex vrbe,quam ſubis,proceſsiſſe. CAROLI quidem natalibus numquàm non Gandauum gloriabitur. Sed cùm tranſmiſſas in Te & quaſi

Gandauenſis Syndici oratio.



Hic est tibi qvem promitti sæpivs avdis.

4.

quaſi rediuiuas eius virtutes videt, vt illum orbi dediſſe, ita Te accepiſſe ſibi gratulatur. Voluptatem, quam Maioribus noſtris eius ortus attulerat, tuus aduentus nobis reducit. Atenim, SERENISSIME PRINCEPS, & naturæ quam ab illo amantiſſimo noſtri Heroë trahis, benignitas, & muneris, quo vales, poteſtas efficient, vt quam Maioribus tuis acceptam referimus, Tibi conſeruatam auctamque gratiam debeamus.

Subſtiterat intereà Nobilium agmen. Vnà cum Syndico ad Principem propiùs ſe admouerant Marchio de Lede ſummus vrbis Prætor, (nunc Limburgenſi ditioni, quam virtute ſuâ Regi aſſeruit, præfectus) & Dominus de Ruddershoue primi ſubſellij Conſul. *In vrbem ingreſſus.* Marchio deinceps pompam duxit. Conſul à Principis latere non abſceſsit: atque illo varia inter eundum ſciſcitante, id inter cetera auditu gratiſsimum ſubiecit: Illum ipſum eſſe diem quo à quinque & triginta retro annis Ser.mi Archiduces ALBERTVS & ISABELLA Gandauum paribus auſpiciis ingreſſi eſſent. Iam porta in conſpectu erat: in eius coronâ quatuor ſtatuas, & media inter eas Regia Hiſpaniarum inſignia collocauerant. Prima PHILIPPI, altera FERDINANDI erat: hinc & hinc Genij innixa baſibus paruis ſcuta ſuſtinebant. Scutorum alteri inſcriptum legebatur:

VOTA PVBLICA PRO SALVTE REGIS.

alteri:

VOTA PVBLICA
PRO ADVENTV
SER.MI FERDINANDI.

Solere pro incolumitate atque itineribus Principum vota publicè ſuſcipi, præter lapidum, monumentorum, numiſmatum (ex quibus hanc Geniorum figuram deſumpſimus) inſcriptiones, teſtatur Plinius Epiſtolarum lib.10. ad Traianum: Solemnia vota pro incolumitate tuâ, quâ publica ſalus continetur, & ſuſcipimus, Domine, pariter & ſoluimus, precati Deos, vt velint ea ſemper ſuſcipi ſemperque ſignari. *Plin.l.10. epiſt.36. ſecũdùm alios 44.* Eodemque libro: Diem, Domine, quo ſeruaſti Imperium, dum ſuſcipis, quantâ mereris lętitiâ celebrauimus, precati Deos, vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuæ inniſa eſt, incolumem florentemque præſtarent. *epiſt.55. al.60.* Etiterum alibi: Precati Deos, vt te remque publicam florentem & incolumem eâ benignitate ſeruarent, quam ſuper magnas plurimaſque virtutes præcipuâ ſanctitate conſequi Deorum honore meruiſti. *Ep.101. al.105.* Paria liceret Principum noſtrorum non auribus, ſed virtutibus dare: at modò gratulari ſufficiat vota pro illis facta non irrita, cecidiſſe. Regem incolumem, FERDINANDVM præſentem habemus. Regis incolumitatem Deo, FERDINANDI præſentiam etiam Regi debemus: cui ſi dignas referre grates non poſſumus, danda opera eſt, vt illæ non noſtro vitio, ſed beneficij magnitudine impares fuiſſe videantur.

ELEGIA AD PHILIPPVM IV. DE MISSO IN BELGICAM FERDINANDO.


Ota valent igitur; nec inexorabilis vmquam
Eſt Deus, aut fruſtrà nos ſinit eſſe pios.
Si negat interdum, negat vt concedere poſsit
Plura. Mora hæc pretium non leue ferre ſolet.
Non leue nunc certè eſt, quod Belgica cepit, habetque
Cur non auditas gaudeat antè preces.
Non quia nunc vrbes, quas perdidit antè, recepit;
Alterius donum temporis illud erit:
Nec quia depoſitis, quod adhuc non expedit, armis
Dulcia ſecuræ tempora pacis eunt;
Tunc erit hoc, cùm ſe, quod iam reor eſſe propinquum,
Subdiderit Domino Battaua terra ſuo:
Sed quia, quod multis meritò plus eſſe triumphis
Ducit, habet Fratrem, magne PHILIPPE, tuum.
Dumque habet hunc, ipſum te, Rex, ſe pænè tenere
Credit; & vt credat, moribus ille facit.
Tam ſimilis virtute tibi eſt, quàm tu ipſe Parenti.
Imperio minor eſt, cetera Fratris habet.
Ergo Deum ſibi iam fauiſſe fatetur abundè,
Et Te, poſt magnum, quem colit illa, Deum;
Et, quamuis animo nil non ſperabat ab illo,
Iam tamen optatis plura tuliſſe ſuis.
Scilicet ingentem cùm plurima Regna per orbem
Imperio & curâ ſunt moderanda tuâ,
Te, quod iure poteſt, tellus ſibi ſeruat Ibera:
Nos Tibi, poſt illam, proxima cura ſumus.
Illa quidem ſeruat, multos & ſeruet in annos,
Quo nullum ſperet maius habere caput:
Sed, quo non illi propiùs vel ſanguine poſsit,
Vel virtute dari, Belgica noſtra tenet.
Vos igitur nobis, quorum defenſa labore,
Emptaque ſæpè fuit ſanguine noſtra ſalus,
Vos precor, ô magni nobis faueatis Iberi,
Et Belgas vobis dicite pænè pares;

Namque

Namque vbi, qui cunctis ſatis eſſet gentibus vnus,
Vni ſe genti plus ſatis eſſe videt,
Iam bona nobiſcum diuiſit veſtra PHILIPPVS:
Vos Regem, Fratrem Belgica Regis habet.
Et tamen hîc aliquis (veniam da patria, luctum
Si renouem, & prodam dedecus ipſe tuum)
Et tamen hîc aliquis Dominum non fidus in illum
Vixit? poſteritas ne precor adde fidem.
Si tamen hoc certum eſt, nec adhuc, quod iure timebas,
Patria, paucorum crimine tota iaces;
Iraſci ſi dum potuit, miſereſcere Princeps
Maluit, offenſæ nec meminiſſe ſuæ;
Si, quæ ſumma foret clades, auerſa voluntas
Non fuit, in miſeros ſed magè creuit amor;
Denique ſi Fratrem, nondum quem fortè dediſſet,
Permotus tantis miſerit ille malis;
Qui fuit inuictas qui prodidit hoſtibus vrbes,
Vtiliter nobis perfidus ille fuit.
In FERDINANDO nam plura recipimus, huius
Quàm malè tentatum perdidit antè ſcelus.
Ergo Tibi, per quem nobis ſic eſſe beatis
Contigit (ô BelgI ſpeſque ſaluſque tui!)
Numina tam faueant (quid enim niſi vota queamus
Reddere?) quàm nobis ipſe PHILIPPE faues;
Et, quàm longa Tibi petimus, dent tempra, Princeps
Vt noſter poſsis eſſe, Paterque diu.
Atque vbi, quos terræ debes, impleueris annos;
Teque tuos inter cernet olympus auos;
Tum tuus, in laudes natus qui ſurgit auitas,
Indole cognoſci qui tuus eſſe poteſt,
Per tua, perque tui Fratris Te facta ſequatur,
Et ſedeat ſolio non minor ipſe tuo:
Sceptraque cùm totidem, quot Tu, geſtauerit annis,
Per ſimiles dextras poſteritatis eant.
Cetera cumque Deus conceſſerit omnia, Fratres
Tam claros habeat, quàm Pater antè ſuus.

Placuerat FERDINANDO publicis ſe votis expetitum videre, & ſanè quantum ſui deſiderium fuiſſet, ex præſenti omnium ſenſu æſtimabat. Vt enim de iis, quæ parum cupiunt, parum lætantur mortales, ita non poſſunt non magno in deſiderio fuiſſe, quæ, dum ex animi ſententiâ contingunt, ſummo in pretio ſunt. Quoniam verò beneficium aliquod conſecutos maximè conuenit auctoris meminiſſe, vt ſupremo bonorum omnium largitori gratiæ communiter referrentur, ante omnia ad ædem ſacram deduci voluit, tum demum exhibendum ſibi admiſſurus, cùm debitum Deo honorem ipſe perſoluiſſet. Mirum quantum

FERDINANDI pietas.

D tum

tum illa religio ciuium animos ceperit, cùm crederent fieri non poſſe, vt eius infelix eſſet imperium, qui cum ceteris animi virtutibus coniunxiſſet pietatem. Primarium Gandaui templum diſtat ſanè quàm longè à Brugenſi portâ; ſed tædium viæ cùm pulcherrimæ am- *Populi in eo excipiendo ſtudium.* pliſsimæque vrbis aſpectus, tum populi ſtudium leniebat. Multi domos ſuas, multi plateas excogitatis pro anni tempore ornamentis decorarant. Qui ſumptum affectui parem adferre non poterant, tenuitatem induſtriâ compenſabant. Quacumque progrederetur, quos vel ætas, vel ſexus, vel valetudo immiſcere ſe multitudini prohibuerat, domorum fores feneſtraſque & tecta ipſa occupabant, quàm Principis videndi cupidi, tam cùm viderent animo geſtientes. Illum paruuli noſcere, grandiores oſtentare; illo conſpecto liberi parentibus, parentes liberis gratulari; ægri ipſi ad eius aſpectum, tamquàm ad ſanitatem accurrere: nullus denique non ingentem voluptatem & capere animo & vultu verbiſque teſtari.

Ad templum vbi peruentum eſt, Perilluſtris ac Reu.[mus] Dominus Antonius Trieſt, *Adit templum.* cui ad auitum nobilitatis decus ſacram Præſulis dignitatem virtus addidit, cum ſacro ordine ad limina venientem excepit, ac cruce de more ad oſculum oblatâ in templum introduxit. Adorato numine, Diuiſque loci prẹſidibus inuocatis, ſacrum carmen, cuius initium, Te Deum laudamus, pulcherrimo vocum animorumque concentu decantatum eſt. Templum deinde, & quæ in eo viſu ſunt rara ſtudioſiùs ſpectata.


Vicina eſt templo curia, magnitudine ſuâ & operis elegantiâ imprimis ſpectabilis. *Ducitur ad forum Caroli V.* Propter hanc leui flexu Principem deduxêre ad forum, quod à CAROLI V. ſtatuâ, quæ in eius medio columnæ inſiſtit, Carolinum; à tempore, quo merces venum exponuntur, Forum diei Veneris dicitur. Perampla huius planities eſt: in quâ vt triumphalibus operibus initium daretur, præter opportunitatem loci hæc ratio ſuaſerat. Varius erat de Principis profectione ſermo. Non de tempore, non de viâ conſtabat. Nunc Antuerpiâ Gandauum, nunc per Hannoniam Arteſiamque Gandauo Antuerpiam, nunc aliud ſecuturus iter ferebatur. Quòd ſi non illac veniret, quà putaretur; circumducendi quò res poſceret, in vaſtiſsimâ vrbe & plurimis fluminum anfractibus interſectâ, defutura commoditas erat. Igitur prudenti conſilio ſtatuerunt eò loci præcipua triumphi ornamenta conferre, per quem, vnde vnde aduentaret, tranſire oporteret.

Eam ob cauſam hactenus nihil admodùm niſi priuatorum conatus & ipſam ciuitatem *Primum triumphale opus.* viderat. Nunc ad forum deflectenti occurrit primum operæ publicæ monumentum. Arcus is fuit, rebus ab illo in itinere geſtis inſignis.

FRONS I ARCVS. Vniuerſa moles quadraginta circiter pedes extenſa, in altitudinem ſeſquialteram aſſurgebat. Operis formam poſitura commendabat: nam cùm eo loco ſituque eſſet, vt portam nondum trangreſsis, ad proximum arcum conſpectus pateret; ille item ad inſequens pegma viſum tranſmitteret; fiebat vt communicato quaſi inuicem ſplendore, cùm plura ſimul conſpicerentur, auguſtiora ſingula apparerent. Arcus dedicatio ea legebatur,

SERENISSIMO FERDINANDO
HISPANIARVM INFANTI
FELICI, FORTI, INVICTO, PIO,
PER MARE, PER ALPES, PER HOSTES ADVENIENTI
GANDAVVM.

Dedi-


SER FERDINANDO
per mare Alpes, hostes
aduenienti, GANDA.
ventis et Dis venit
ille secundis.
Inuia virtuti
nulla est via.
ERGO VENISTI. etc.
VICIT ITER DVRVM.
FIT VIA VI.
SVPERAT PRA
SENTIA FAMA





ERGÖ VEnIstI MIhIQVE eXspeCtata tVerI ora DatVr?
VICIt Iter DVrVM VIrtVs tVa.

6.

Dedicationis ſententia picturarum fuit, nunc erit ſcriptionis argumentum.

Antiquiſsimum Gandauenſis vrbis notiſsimumque ſymbolum eſt elegantis formæ virgo, quæ ſepimento ligneo incluſa, leonem in gremio ſuo recumbentem manu mulcet. Leo virginis cuſtos, auream coronam capite, vnguibus Flandriæ labarum geſtat. Singulorum ſenſum eum eſſe volunt Gandauenſes. Per ſepimentum, quo virgo cingitur ſimul & defenditur, aiunt vrbis ſuæ munitiones intelligi. Eſt enim Gandauum omnibus locis egregiè munitum, multis etiam propter aquas inacceſſum. Virginis formam, ciuitatis pulchritudinem; leonis cuſtodiam, ciuium fortitudinem interpretantur. Flandriæ labarum à leone teneri dicunt, tum quia Gandauum Flandriæ caput eſt, tum quia Gandauenſes ad eius conſeruationem variis temporibus plurimum contulerunt: vti fusè docent rerum Flandricarum & Gandauenſium ſcriptores, Oudegeſtus, Marchantius, & benè nuper de patriâ ſuâ meritus Antonius Sanderus. *Symbolum Gandauenſe.*

I. TABVLA.

Id ſymbolum picturæ mediæ argumentum dedit. Exhibebatur eâ virgo inſuetam vultu hilaritatem prodens. Septum apertum erat. Ipſa non ſedens, vt ſolet, ſed, niſi quòd corpus veneratio inclinauerat, erecta, accedentem propiùs Principem, vt ſepto ſuccederet, inuitabat. Nec nihil agebat intereà leo: ſed ferociæ oblitus, totuſque cum dominæ affectibus conueniens, abblandiri & ipſe videbatur, & inflexâ leniter ceruice venerationem obedientiamque præ ſe ferre, nec iam ampliùs præcipuam magnanimitatis laudem ſibi vendicare; quaſi non eſſet neſcius, quemadmodùm nuper, qualem *Eius argumentum.*

lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulſum leonem
Dente nouo peritura vidit;

talem Sueci FERDINANDVM vidiſſent.

In virginis attentiùs ipſum contemplantis animo ſimul gaudium, ſimul admirationem creſcere diceres: gaudium, dum qualis quantuſque eſſet, perpenderet; admirationem, dum mente repeteret, quæ pericula eius in Belgas amor contemnere, quas itineris difficultates virtus ſuperare potuiſſet. Hos affectus duæ infernè innuebant epigraphæ; quarum prima,

ergo VenIſtI, MIhIqVe eXpeCtata tVerI ora DatVr? *Inſcriptiones communes toti moli.*

annum numeralibus litteris indicabat, quo tanta huic vrbi felicitas obtigit: altera,

VICIt Iter DVrVM VIrtVs tVa.

exprimebat annum, quo Princeps iter, & Belgarum fines ingreſſus eſt. Non enim eodem Gandauum, quo in Belgium venit. Pauca ſunt hæc pro rerum dicendarum copiâ Virginis verba. Sed in inſcriptionibus conſultò breues fuimus, tum vt non legi tantùm, ſed etiam memoriâ teneri poſſent; tum quia intempeſtiuum videbatur, ſpectatorem, ſatis videndo impeditum, longâ lectione fatigare. Hîc igitur habe, quod illic abfuit potiùs, quàm defuit.

IN ADVENTV

SERENISSIMI FERDINANDI

GANDÆ GRATVLATIO.

Chronicon.

ergo VenIſtI MIhIqVe eXpeCtata tVerI ora DatVr?



Rgo veniſti, mihiq́ue expectata tueri,
Promiſsi toties Principis, ora datur?
Dexter ades FERNANDE; fauet tibi terra poluſque,
Et Deus aduentu dat bona ſigna tuo.
Ecce nitet puro diffuſum lumine cælum,
Cumq́ue tuo vultu conuenit ipſa dies.
Tuq́ue quod in terris, hoc præſtat in æthere Titan:
Tu tenebras animis diſcutis, ille polo.
Ecce Tibi Pariæ ſurgunt ad ſidera moles,
Aſpicias laudes in quibus ipſe tuas.
In quibus armorum videas monumenta tuorum,
Atque animi pariter pignora certa mei.
Ecce Tibi feſtis collucent compita flammis,
Lætitiæ ſignis non caret vlla domus.
Suntq́ue mei ciues, quod, cùm duxêre triumphum,
Credibile eſt turmas antè fuiſſe tuas.
Eſſe ſuum dicunt Te poſt mala multa leuamen,
Extendiq́ue orant iam ſua fata ſenes:
Et, tua quos ſpatiis tangit propioribus ætas,
Non ſibi, Maiores quæ ſubiêre, timent.
Atque aliquis Tyrio cùm Te conſpexit in oſtro,
Phœbus vt in Cynthi dicitur ire iugis;
Qualis, ait, facies! quàm tanto Principe digna eſt!
Quàm placidæ ſpeciem ſignaq́ue mentis habet!
At bona mox alius quæ ſunt maiora recenſet,
Quæ carpat nullus diminuatq́ue dies:
Quòd Tibi, cùm titulis tam ſis generoſus auitis,
Non tamen eſt virtus nobilitate minor:
Quòd decus ipſe tuis addas natalibus, & quòd
Par animus generi eſt, par animoq́ue genus.
Nortlingæ pugnam tum narrat; iterq́ue fuiſſe,
Quæ foret alterius gloria ſumma, tuum:

Exci-

Excipiunt illum plauſu fremituque ſequentes,
Quiſque tuas laudes ſpes putat eſſe ſuas.
Ipſe tuus, tanto qui iam ſeſſore ſuperbit,
Plauſibus attonitus ſæpè reſiſtit equus.
Tu, precor, intereà totam circumſpice turbam;
Quaque venis, gaude vix reperire viam:
Et placeat quòd quiſque cupit tibi proximus ire,
Et ſtudium populi iudiciumque nota.
Cumque ſat è vultu fuerit mens cognita, dicas:
Cui tam ſum carus, hic mihi carus erit.
Tum ſubeas arcem, quâ nuſquam forſitan eſſe
Hoſpitiis poſsit dignior vlla tuis.
Scilicet hæc illa eſt, noſtro quæ præſtitit orbi,
Præſtiterat ſummo Creta quod antè polo.
CAROLVS hîc primùm, quem nunc tenet, æthera vidit:
Hæc domus, hæc illi terra paterna fuit.
His cœpit reptare locis, tectoque ſub illo
Auguſtus tenero vagiit ore puer.
Tu quoque in hos igitur lætus ſuccede penates,
Auctorem generis & venerare tui.
Quodque illi natale ſolum eſt, tueare; veliſque
Me partem curæ, quod facis, eſſe tuæ.

GRATVLATIO ALTERA

AD

SERENISSIMVM FERDINANDVM.

Chronicon.

VICIt Iter DVrVM VIrtVs tVa.


Rgo dies venit, quâ Te, fortiſsime Princeps,
Victriceſque manus cernere & ora licet?
Fortunata dies, Belgarum digna quotannis
Plauſibus, & Vatum carmine digna coli.
Illa dies noſtros inimica per arua timores,
Et Batauum ventis in mare ferre dedit.
Battaue, ſi ſapies, tua, dum licet, arma repones,
Et pacem orabis quâ geris illa manu.
Plus aliquid, moneo, ſolitiſque potentius armis,
Plus aliquid ſolito iam patiere metu.
FERDINANDVS adeſt; tibi formidabile nomen,
Ni flectas Domino colla ſuperba tuo.

Elegia Sidronij Hoſſchij è Societ. IESV.

F Quid

Quid paret ille tibi, campo monſtrauit in illo,
Spes vbi Suecorum veſtraque fracta iacet.
Scilicet vt timeas, potuit ſatis eſſe videri
Durum,quo venit te domiturus, iter.
Per mare, per montes, adituque aſperrima ſaxa
Duxit cum ſignis agmina tota ſuis.
Illum & Rhæteæ vidêre in nubibus Alpes
Tendere, & in ſummis ponere caſtra iugis;
Creber vbi in præceps ſcopulos abrumpit hiatus,
Fluminaque horrendo lapſa fragore ſonant;
Quæ niſi pallenti nemo videt ore viator.
Hæc animis, ferro cetera facta via eſt.
Quà Sueci obſtiterant, per denſa cadauera venit.
Teſtis adhuc ingens oſsibus albet humus.
Nec mora longa fuit, venientem fulminis inſtar,
Quem non poſſe putat Suecus adeſſe, videt.
Tantaque nox animi eſt; hanc ſponte laceſſere demens,
Quâ perdendus erat, cœpit in arma manum.
Audendi cauſæ, felix furor hactenus, & ſpes
Imperij, & Suecæ robora pubis erant.
Dimicat Auſtriades, & caſtris exuit hoſtem,
Omniaque ingenti cæde fugâque replet.
Vicini colles, vicinæ ſanguine valles,
Et procul hinc latè ſanguine terra rubet.
Battaue ſic venit, qui, quàm ſic vincere, mauult
Parcere, ſi vinci forſan amore potes.
Sic venit, monuitque alio te victor in hoſte:
Tantaque confecit dum tibi bella parat.
FERDINANDEI ſunt hæc primordia Martis.
Sic iuuenis veterum contudit arma Ducum.
CAROLE, voſque ataui Reges, magnique PHILIPPI,
Quæcumque æthereæ vos tenet ora plagæ,
Spectate è cælo, & tanto gaudete Nepote,
Qui quâ veniſtis tendit in aſtra viâ.
At nobis tecum ſimul omnia gaudia Princeps,
Ipſa etiam tecum eſt viſa venire ſalus.
Salue ingens animis, ingens virtutibus Heros,
Soſpite quo ſoſpes Belgica ſemper erit.
Certa fides: mens hoc ſapiens innataque ſtirpi
Auſtriacæ virtus ſpondet, & ipſe Deus.
Talis Alexander, cùm debellare Darium
Cœpit, & Euphratem ſub iuga traxit, erat.
Talis erat Proauus, cùm Rhenum victor & Albim,

Et

Et tenuit Libyci littora capta freti.
O quoties Tibi, ſeu domitas ſubieceris vrbes,
Seu valido aduerſas fregeris enſe manus;
Iam caſtris aſſueta tuis Victoria laurum
Ad ſibi dilectum deferet ipſa caput!
O quoties hæc ſcuta Ducum, galeaſque comantes
Atria formoſâ figet ad alta manu!
Pictaque ſigna feras, auulſaque roſtra carinis,
Heu nimiùm velis hactenus auſa ſuis!
I felix tua quò te virtus, Regie ſanguis,
Famaque vincendo iam Tibi parta vocat.
His rerum auſpiciis maior Tibi naſcitur ordo,
Non leue principiis talibus omen ineſt.
Tempus erit cùm Te Nereus, amneſque Bataui
Victorem agnoſcent, terraque capta ſuum.
Seu quicumque alius Te per fera bella laceſſet,
Exuuias domito ſemper ab hoſte feres.
Eueniet. Martemque & auitas laude columnas
Exceſiſſe, tui meta laboris erit.

FERDINANDI iter, vti hîc verſibus, ita illic picturis exprimebatur. Quas antequàm explanem, dabit hanc mihi veniam Lector, vt enucleatiùs poſtremos ſuperioris elegiæ verſus expendendo, communis lætitiæ cauſam repræſentem.

Annus ferè eſt, cùm hoc poëma cum quibuſdam aliis huic operi præmiſſum, & in lucem editum eſt. Et ecce quaſi ab Apolline Delphico dictatum eſſet, ita non bona tantùm præſagia, vt pleraque aliorum, (quos omnes FERDINANDI felicitas veraces aliquando faciet) ſed certa & expreſſa rerum futurarum vaticinia videtur complexum. Adeò non abs re Vates Poëtæ dicuntur. Vt verò ordine ſingula proſequamur, tertio à fine diſticho ſic habet: *Quàm benè ominati verſus*

Tempus erit cùm te Nereus, amnéſque Bataui
Victorem agnoſcent, terraque capta, ſuum.

An non idipſum eſt quod fieri vidimus? An non Nereus FERDINANDI fortunam ſenſit, cùm quidquid hactenus eius auſpiciis in mari geſtum eſt, id ferè omne proſperè nobis feliciterq; euenerit? Taceo naues modò ſingulas, modò plures, non minori emolumento quàm gloriâ expugnatas, atque hoſtibus ereptas. Taceo commerciorum vſum inter ipſos non mediocriter impeditum. Taceo itinera, quò noſtri intenderant, feliciter confecta. Vnum inſtar omnium ſit. Soluerat nuper Dunkerckâ Regia viginti nauium claſsis ductu Ampliſsimi Domini Ioannis de Gauarelles: quem virum pietas in Deum, fides in Regem, amor in patriam, prudentia rerum gerendarum fortiſsimum in togâ militem fecit. Ea, cùm poſt aliquot dierum nauigationem, celeberrimam ac ſumptuoſiſsimam Hollandorum in Septemtrionali Oceano piſcationem diſturbaſſet; naues ſupra nonaginta demerſiſſet; bellicas ad illarum cuſtodiam oppoſitas, quà expugnaſſet, quà in fugam dediſſet; plurimos, pro nauium depreſſarum numero captiuos cepiſſet; tandem propiùs Hollandiam vento acta, in *Victoria maritimæ FERDINANDI.* *Expeditio Ioannis Gauarelles.*

hostilem classem haud paullò se maiorem incidit. Imminere atrox, & quoniam numero ce-

Congressus cum classe Hollandicâ,

debant nostri, periculosa pugna videbatur. Sed vbi virtute res geri potest, parum multitudo aut fortes terret, aut timidos iuuat. Hollandus, quasi satis ausus, quòd in conspectũ venisset, contractis velis subsistit. Nostri eam moram ignauiam, vt erat, interpretati, vltro cunctantem inuadunt; segniter se defendentem disiiciunt; multum damni inferunt, nihil accipiunt: dubium maiorne suâ gloriâ, an hostium probro. Illis enim, præterquàm quòd & copia nauium fiduciam, & damnum suis illatum vindictæ cupidinem augere debuisset, venti etiam, quorum ad naualem victoriam maximum momentum est, obsecundabant. Ita volente Numine, simul vt victoria solâ virtute parta nostrorum fortitudinem testatiorem faceret, simul vt omnes manifestiùs viderent, quàm inuicti essent, qui sub

sub Ferdinandi auspiciis.

Ferdinandi auspiciis pugnarent. Quemadmodùm enim (vt à nauibus non recedamus) ad prosperum nauigationis cursum, singulorum quidem nautarum in exequendis ministeriis sedulitas multum conducit, præcipua tamen penes gubernatorem & cura & laus est; ita in negotiorum bellorumque administratione quidquid prosperè euenerit, potissima & maxima supremis rectoribus gloria debetur: qui, vt quondam Fronto Romanus orator non ignobilis dixit, quasi longissimæ nauis gubernaculis assidentes, velificationem & cursum etiam procul absentes administrant.

Sed non feliciores mari quàm terrâ Ferdinandi Duces videas: per illos Nereus, per

Bataviæ descriptio.

hos Bataui amnes eum victorem agnouêre. Batauia fertilissima celeberrimaque Hollandicæ ditionis insula est. Eam Rhenus, teste Tacito, & Oceanus olim efficiebant: nunc Rheno ambitur. Hic vbi per plura ostia mare subiturus se diuisit, vti diuersos alueos habet, ita plura quoque nomina sortitus est. Quà Neomagum versus deuoluitur, Wahalis; quà Arhnemium, retentâ aliquamdiu veteri appellatione, vbi præterfluxit vrbem, Lecca dicitur. Regio media Batauia est, nusquã lata; verùm vbi Rhenus in cornua sese aperit, in longè arctissimas

Arx Schenckiana, Hollandiæ clauis, capta;

fauces compulsa. Hisce angustiis à Martino Schenckio quondam impositum, ab Hollandis variis operibus amplificatum munitumque castellum, simul fluuiis imperitabat, simul Batauiam tuebatur. Sed nihil est aut tam arte munitum, aut loci naturâ inaccessum, quò Imperatoris nostri felicitas non penetret. Illud insuperabile, vt credebatur, propugnaculum, ille Hollandiæ obstructissimus aditus, illa certissima Rheni tutela, non multorum militum pecuniarumque dispendio, non longâ ac difficili obsidione, sed vnius noctis labore in nostram potestatem venit: & cùm multis antehac annis vix nostra seruare magnis exercitibus potuerimus, nunc paucarum cohortium Virtute, tantum hosti præsidium, &, vt ipse ait, clauim Prouinciarum suarum eripuimus. Perinde quasi Ferdinandvm non comitata tantùm, sed & præstolata esset in Belgio victoria. Dubites tamen maiorne gloriâ captum Schenckianum sit, an hactenus retentum. Sanè

Ouid. 2. de art.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

& maiori virtute hactenus seruata.

Illud nonnumquàm fortunæ adscribitur, hoc prudentiæ ac fortitudinis opus. Quid si plurima difficultatem augeant? Ea hîc adeò fuêre multa, vt, qui magis quid seruandum esset, quàm qui seruarent, attenderet, de successu timeret. Remotissimæ nostræ, vicinæ hostium vires & vrbes erant. Ad manum illis omnia, nobis summo labore comportanda. Longa itinera; difficilis commeatuum subuectio; intutæ, vt in hostico, stationes; periculosa pabulatio; pabuli penuria, nonnumquàm defectus. Hostis intereà oppugnationi instare; & vti, dum cor petitur, totas natura vires exerit, summâ operâ adniti:

impres-

impreſsiones frequentare; fodere; armis,conſilio,tormentis, nauibus omnia tentare; nihil aut induſtriæ aut contentionis omittere. At his omnibus ita FERDINANDI prouidentia occurrit,vt nec annonæ difficultas,nec locorum iniquitas, nec irremiſſus pugnandi, proficiſcendi, munitiones exſtruendi labor militem noſtrum fregerit, nec hoſtis tanto conatu quidquam effecerit, niſi vt perſpectâ recipiendi, quod tam facilè amiſerat, caſtelli difficultate,acriùs de iacturâ doleret. Non tamen nihil (etſi nullâ eius laude) non,inquam,nihil in Schenckiano damni acceptum eſt. Einhoutium, cuius ductu atque operâ expugnatum fuerat,in eius defenſione amiſimus. At laudandum magis quàm deplorandum talis viri lethum,qui idem habuit gloriæ ſuæ mortiſque monimentum. *Ferdinandi prouidentia.* *Einhoutij mors.*

Hæc ad Rhenum Wahalimque. Quid ad Moſam? Non multò diſpar fortuna fuit. Is & ipſe Batauiæ munimentum,quà maximè hoſtibus parebat,noſter factus eſt.

Geneppij arx,quæ flumini adiacet, cùm id prohibere iure non poſſent, armis non auderent,occupata. Dein,quaſi per otium (tanta ſecuritas erat) munita, propugnaculiſque ac milite firmata. Ita Moſa velut Rheno commiſſus. Nec minore commodo hîc erectum, quàm illic expugnatum fortiſsimum caſtellum eſt. Velint Superi, vt tantis hac parte præſidiis firmata fidelis Belgij fortuna numquàm collabaſcat: in hoſtium iugulo ſumus: ad vitalia telum peruaſit; quà poteſt adigatur. Excitet nos illorum vigilantia,inſtiget dolor,ſollicitet cura.Quantum vicerimus ex illorum ſenſu æſtimemus. Noſtrum nobis lucrum non minoris ſit, quàm ſua illis iactura. Id agamus,vt ille victoriæ non terminus,ſed gradus ſit, breuique Batauus non tam munitum ſe fluuiis ſuis videat quàm incluſum. *Ad Moſam arx Geneppenſis occupata.*

Fluuiorum occupationi vincendam terram Poëta coniunxerat. Terræ quàm multum hoc item anno recuperatum eſt? Iam plurimæ Geldriæ ciuitates præſidiis noſtris tenentur. Iam Cliuia nobis inſeruit. Iam omnis intra Moſam & Wahalim terra, hoſti ad colligendos deducendoſque quolibet milites,ad ponenda caſtra, ad ſubuehendos commeatus aptiſsima,nobis ea commoda ſubminiſtrat. Iam Limburgum,ex ſeptemdecim Prouinciis altera,& quæ ei adiacet Trans-moſana regio, veterem Dominum agnoſcit. Iam tota belli moles à nobis auerſa,illis,quibus debet,incumbit.Hoſti non modò noſter,ſed & ſuus miles grauis. Illum foris ſibi imminentem; hunc, quoniam cetera erepta ſunt, in viſceribus patriæ ſuæ hibernantem videt.Denique cùm apud nos ſudum ſit,illi nubes & eruptura mox è nubibus fatalis procella impendet. Adeò nihil nimium de FERDINANDO potuit nobis poteſtque promitti. Sed tranſeamus ad alteram (ſic enim libet vocare) vaticinij partem: non enim vereor ne extra rem loqui videar,cùm de FERDINANDO loquor; errare non poſſum,dum in eius laudibus verſor.Cùm,quæ memorauimus,Poëta præſagiiſſet,ſubiunxit: *Geldriæ & Cliuiæ oppida præſidiis munita.* *Limburgum recuperatum.*

Et, quicumque alius te per fera bella laceſſet,
Exuuias domito ſemper ab hoſte feres.

Laceſsiuit & alius per bella FERDINANDVM. Sed vt multiplicatis hoſtibus glorioſiùs vinceret. Cùm numero copiarum eſſet inferior, defectum militum virtute ſuppleuit: quodque de ſe Græcus iſte iactabat, ipſe pro exercitu fuit. Quod nouum victoriæ genus eſt,vicit nolendo pugnare, tantò maiori cum gloriâ, quantò plus ſibi, minus fortunæ debet: vt nihil illa de laude detraheret,nihil illi commiſſum eſt.Non prælio (in quo ſæpè non minus caſui, quàm virtuti licet) ſed conſilio peracta res eſt. Milites, quamquàm digni, qui pugnando vincerent, cedere iuſsi ſunt. Norat FERDINANDVS ſe, cùm ſuis parceret, hoſtes atterere: in impetu illis vim eſſe: ſi eludere poſsis, plus terroris quàm periculi habere: cun- *Hoſtes conſilio & cunctatione victi in Brabantiâ.*

ctatione languescere, &, si nihil aliud accedat, morâ ipsâ & militiæ labore interire.

Ergo cùm exercitus magnitudine, & fortunæ sub initium nonnihil adspirantis fauore, non tam ad bellum, quàm ad victoriam se ire arbitrarentur; tandem aliquando fateri debuerunt, ferociores se fuisse quàm prudentiores. Cuius terræ iam tum se dominos credebant, eam miseri non nisi mortui tenuerunt: vbi se tropæa fixuros confidebant, ægrè tumulum, nec nisi per alienam misericordiam, repererunt. Vtque præter damnum etiam ignominiam referrent; cùm ante Louaniensem vrbem (de Thenensi enim taceo, quoniam de eâ sine nimio hostium dedecore loqui non possum, neque cupio benignissimi Principis laudibus crudelissimi excidij narrationem admiscere) cùm, inquam, ante Louaniensem vrbem, vix aliis propugnaculis, quàm Præfecti sui D.ni Baronis de Grobbendoncq, militumque non multorum, sed fortissimorum, virtute munitam, decem dies nequidquam hæsissent; vltrò obsidionem soluere coacti, qui toti Belgio exitium minati fuerant, de propriâ salute laborarunt: læti, post multa millia fame, morbis, ferroque consumpta, si impunè ceteris abire liceret. Hic exitus illorum fuit, qui Belgio, sub tanti Imperatoris tutelâ posito, bellum intulerunt.

Louanium liberatum.

Sed nunc ad propositum, à quo nos tum FERDINANDI gloria, tum iucundissima discussi per eum periculi memoria non inuitos abduxit, aliquando reuertamur.

Post explicatam Gandæ gratulationem, proximum erat, vt FERDINANDI iter prosequeremur. Erat id in ceteras tabulas distributum.

II. TABVLA. *FERDINANDVS nauigat in Italiam,*

Prima discedentem ab Hispaniâ nauigantemque referebat. Nauigatio, vt infidum semper mare est, periculo non caruit. At nimirum viros supra communem mortalium sortem in excelso positos, suus quoque potentior Genius, & non vulgaris felicitas comitatur: neque eadem institorum nautarumque, & summorum Principum conditio est. Iulius Cæsar exemplo fuit. Is hyeme nauigans, cùm superante artem tempestatis vi, rector nauis de salute desperaret, Nihil, inquit, est quod timeas, Cæsarem vehis, Cæsarisque fortunam. Nec iactantior, quàm felicior fuit. Fecit euentus hominis de se æstimationi fidem. Quod ille sibi arrogauit, FERDINANDO Superi concessêre. Nauim, quâ portabatur, securam præstitit onus suum. Cùm inhorresceret nonnumquàm mare, tandem, quasi tantum caput reuereretur, strauit fluctus; & venti sæuitiam posuêre. Ea picturæ subdita Epigraphe est:

fauentibus Superis.

Ex lib. 8. Æneid.

VENTIS ET DIS VENIT ILLE SECVNDIS.

Pictura ex veterum fabulis desumpta.

Deos secundosque fauentesque, & Regiam FERDINANDI triremem, humeris certatim propellentes appinxit pictor, ad eum modum quo apud Virgilium alteram quamdam

omnis

lib. 5. Æn.

Nereidum Phorcique chorus, Panopæaque Virgo,
Et pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit.

Eam Deorum turbam mari veteres tribuerunt, quòd neque immane illud elementum extra Numinis prouidentiam esse, neque in vnicam mentem vniuersorum aut curam aut imperium cadere posse autumarent. Stultè id quidem, cùm diuinam sapientiam potestatemque iisdem ferè, quibus humanam, angustiis circumscripsêre: rectiùs tamen quàm ille, quem amici naufragium eò impatientiæ egit, vt diceret:

Proper. l. 3. ele. 6.

Non habet vnda Deos.

Sunt



VENTIS ET DIS VENIT ILLE SECUNDIS.



Sunt enim vbique Diuis curæ res mortales,& in ipsis fluctibus non tam gubernatoris manu,quàm Numinis prouidentiâ naues gubernantur. Vndarum motus, quibus nihil instabilius ; ventorum flatus, quibus nihil incertius, non minùs, quàm cælorum orbes, stabilemque terræ molem suprema Mens moderatur. Quæ vt FERDINANDVM nobis incolumem daret, quoniam fortaſsis aliquid Belgicæ vota contulerunt,ea adiungimus. *Dei prouidentia.*

ELEGIA

AD BELGICAM

DE

SERENISSIMI FERDINANDI

EX HISPANIA IN ITALIAM

NAVIGATIONE.



IRe parat dubias FERNANDVS classe per vndas:
Vota fer ad magnum Belgica ritè Deum.
Nam tu causa viæ: te propter, patria Regna,
Te propter, Fratrem deserit ille suum:
Cumque aliter nequeas, quàm quà finit æquor, adiri,
Æquoris incertas sustinet ire vias.
Scilicet hîc aliquid sorti debere necesse est:
Virtutis totum, quod superabit, erit.
Sed malè (me miserum!) ventis, malè fiditur vndis.
Oceano constans non solet esse fides.
His tamen ille suam credet nostramque salutem,
Spesque per incertas tanta feretur aquas?
Et tota à fragili pendebit Belgica ligno;
Et tantùm felix, si volet Auster, erit?
O vtinam Diuis soluat ratis illa secundis,
Sentiat & magni, quem vehat, vnda maris,
Et commissa sibi populorum vota duorum
Deferat ad portus, Ausoni terra, tuos!
O vtinam venti veniant in vela ferentes,
Et faciant celerem remus & aura viam!
Quæque regunt nautas, numquàm fulgere sereno
Sidera deficiant officiosa polo!
Tyndarei fratres, formosæ pignora Ledæ,
Præcipuè vobis conuenit illud opus.
Nam quod tu cælo Pollux cum Castore, terris
Hoc cum Fratre, ratis quem vehit illa, suo est.
Qui fuit in vobis, vinclo qui vestra perenni
Iunxit, & illorum pectora iungit amor.

Vos immortales fecerunt fata, nec illos
Gloria permittet posteritasque mori.
Vos iubare & radiis genitor circumdedit aureis,
Hos genus illustres & sua vita facit.
Sidus sollicitis vos estis amabile nautis,
Gratius hic populo sidus vterque suo.
Denique quâ Virtus olim vos duxit, eâdem
Hos quoque, sed serò, ducet in astra viâ.
Vos igitur, cui se nunc horum credidit alter,
Ne sinite in mediis puppis vt erret aquis.
Audior? an totus tenebris inuoluitur aër?
Nox fugat atra diem, nubibus astra latent;
Insurgunt venti, tolluntur in æthera fluctus,
Exitium tumidæ triste minantur aquæ.
Hoc, Superi, prohibete nefas, Hispania quotquot,
Et non auersos Belgica quotquot habet;
Et seruaturum populos seruate, nec vnum
Fluctibus his perdi credite posse caput:
Belgica naufragium puppi patietur in illâ:
Hei mihi! si frustrà tot modò vota facit.
Hei mihi! si vestras frustrà procumbit ad aras,
Et spargit lacrymis omnia templa suis;
Si veniâ nondum digna est vestroque fauore,
Imperio dignam quam putat ille suo.
Nequidquam timeo. Redeunt sua sidera cælo,
Et rabiem Boreas ponit, & vnda suam.
Per mare nunc VENTIS ET DIS VENIT ILLE SECVNDIS;
Nunc portum è summâ nauita puppe videt.
Felicem terram, quæ gaudia debita Belgis,
Præcipiet; felix, quod premet ille, solum.

Genuam appulsus FERDINANDVS.

Proficiscitur Mediolanum.

Genuense id fuit, ad quod sub initium Maij anni M. DC. XXXIII. appulit, cùm ante medium Aprilem Barcinone soluisset. In mediâ viâ ad diuersas insulas portusque hærendum fuerat, tum auræ ac ventorum, tum Ducis Sabaudiæ, quem in portu Villæ-Francæ conuenit, salutandi caussâ. Inde continuato cursu Genuam, & post paucorum dierum eâ in vrbe moram, Mediolanum perrexit. Hîc diutius cùm ageret, id effecit, vt eum Belgæ ardentiùs desiderarent, Mediolanenses ægriùs dimitterent. Vt enim ignoti boni nulla est cupido, ita iam explorati, semelque possessi difficilis est iactura. Sæpè patientiùs desiderata non obtinemus, quàm obtenta dimittimus. Præualuit necessitas Belgarum. Plus calamitatibus nostris FERDINANDVS tribuit, quàm Insubrum votis, gnarus optimi quidem Principis esse, omnes cupere beatos; sed prudentissimi, maximè indigentibus succurrere; & instar medici, vulnera, quæ curanda sunt, coràm inspicere. Coacto sub æstatem anni M. DC. XXXIV. florentissimo quà Hispanorum, quà Italorum exercitu (iam enim



INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA.



enim ille, quem Dux Feriensis ad sternendam viam in Alsatiam duxerat, occultâ Fridtlandi perfidiâ progressu impedito, & robur & Ducem amiserat) in Germaniam contendit. *In Germaniam tendit.*

III. TABVLA.

Quale id rursum iter, quàm durum, quàm molestum! Alpes, quâ parte asperrimæ sunt, emensus est. Per loca singulis hominibus non sine labore peruia, ingentem cum impedimentis exercitum traduxit. *Per Alpes iter.* Curtius in iudiciis æquè ac scriptione sincerus, Alexandri sui non prælia magis, quàm itinera commendat. Ciliciæ fauces, Persidos aditus, Caucasum, & quæ ad illum obnoxia Boreæ loca superata, in illustrissimis victoriis ponit. Eadem Vegetij, aliorumque sententia est, asserentium non minùs requiri, vt exercitum proficiscentem, quàm vt pugnantem dirigas. Hoc militis, illud Ducis esse. Quàm pauca autem itinera reperias, quæ Alpium traiectum difficultate exæquent? Sed vt has inuictus ille exercitus feliciter transmitteret, & militum robur fecit, & prouidentia Ducis: qui cùm, ne suis quid deesset, prospiceret, pudebat illos Duci deesse; pudebat hostem superaturos rupibus & saxis cedere. Si quando grauior labor incideret, si molienda priùs quàm ineunda via, ad Imperatorem se conuertebant. Fatigatas vires eius aspectus recreabat, neque tædebat imperium exequi, dum exemplum viderent. Denique cùm FERDINANDVM ad gloriam, & ad salutem populorum festinantem nihil moraretur, nec æmulantem eius animos militem quidquam tardare potuit: vt enim epigraphe ferebat, *Tabulæ inscriptio.*

INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA. Ouid. 14. Metam.

De quo argumento simulque de eâ quæ profectionem præcesserat mora, non longiori quidem quàm necesse esset, sed quàm cupidissimi optabant Belgæ, elegiam subnecto.

ELEGIA
AD
SERENISSIMVM FERDINANDVM
DE MORA
EI IN ITALIA INIECTA
ET
ALPIVM TRANSMISSIONE.



RVmpe moras, FERNANDE, manus tibi Belgica tendit,
Tam tibi, tam Fratri Belgica cara tuo:
Et (quamuis Moncada nihil sinit esse timendum)
Nescio quo sine te fluctuat illa metu,
Et plus à tanto (quamuis nihil ille reliquit
Armis quod potuit consilioque geri)
Plus tamen, vt par est, à tanto Principe sperat.
Est aliquid, Diuûm ducere stirpe genus.
Nec minùs infelix sibi te Germania poscit,
Indiget auxiliis nec minùs illa tuis.
Te vocat asiduis, ô Princeps, vtraque votis;
Dinumerat lentos vtraque mœsta dies.

Vtraque cùm vocat hæc, cur te tenet Itala tellus?
  Cur magis illius vota precesque valent?
Cur regio felix damno manet vna duarum,
  Plus iusto nostris perfruiturque bonis?
Iam certè discessit hyems; iam frigore pulso
  Apta viatori tempora veris eunt:
Iam tibi miles adest summo Duce dignus: Iberis
  Adiunxit turmas terra Latina suas.
Rumpe moras igitur; populis nec ferre salutem,
  Nec dubita laudes accelerare tuas.
Quid loquor? obsistit nobis natura; voluntas
  Nec sua FERNANDVM, sed graue tardat iter.
Quoque minùs veniat, tangentes vertice cælum,
  Impediunt Alpes, impediuntque niues.
Hoc est, infidi quod post discrimina ponti,
  Post dubios timuit Belgica sæpè notos.
Sed frustrà timuit. Nam quod natura negauit,
  Hoc illi virtus iam sua pandet iter.
Nempe licet forti quouis penetrare: nec vlla
  Inuia virtuti difficilisque via est.
Quis teneat volucrem, ne tendat in æthera, flammam?
  Quis faciat nimbis fulminibusque moram?
Quis clausum cæcis vetet exspirare cauernis,
  Et cælo Boream liberiore frui?
Quis, quæ non superet virtus, obstacula ponat?
  Semper vel reperit, vel facit illa viam.
Hac duce FERNANDVS per montes nubibus æquos,
  Incola quos tuto vix subit ipse pede,
Per rigidas cautes & inhospita saxa, geluque
  Obsita perpetuo per loca carpit iter.
Hac duce præcipites contemnit rupium hiatus,
  Nec timet abruptas per iuga summa vias.
Et quò consuetas pasci per saxa capellas
  Vix ageret pastor, hîc sua castra locat.
Scilicet ad magnos sic tendimus, inquit, honores:
  Ad famam mollis non solet esse via.
Principis exemplo miles non segnior instat;
  Et pudor est tardè, quò præit ille, sequi.
Ante alios festinat Iber, fortemque probare
  Iam tum præcipuè se studet ille Duci;
Et mediis dum pendet adhuc in rupibus agmen,
  Iam tum pugnandi tempus adesse cupit.
Iamque animos, iamque arma parat, iam concipit iras,

Prædi-

Prædicit triſtem iam tibi Suece necem.
Suece cades, inquit; meritas dabis improbe pœnas,
Addidit & vires qui tibi cumque ſuas.
Nec minùs, iniuſto niſi vis deſiſtere bello,
Batave fatalis Mars tibi noſter erit.
Sic ait,& durum minuit ſpes illa laborem.
Cælicolæ dictis pondus ineſſe velint.

Ingreditur Bauariam magnâ celeritate & militari diſciplinâ.

Quàm de virtute ſuâ confidebat FERDINANDI miles,tam de Superûm fauore ſecurus erat,cùm ſibi & Imperatoris ſui pietatem, & cauſæ, pro quâ pugnaturus erat, æquitatem proponeret. Superatis Alpibus, Tyrolenſique comitatu emenſo Bauariam ingreſſus,cùm & vrgente rerum ſtatu ad amicorum auxilium,& ſponte ad victoriam properaret, regionem peruaſit eâ celeritate, vt non tam incedere, quàm rapi agmen videretur; eâ diſciplinâ, vt appareret non prædatrices illas, ſed auxiliatrices copias eſſe, nullis, niſi hoſtibus formidabiles.

Nordlingam ad Regem Hungar. contendit. Hoſtium de prælio conſilia. Diſſuadet Hornius.

III. Kal. Auguſti Donauertam peruenit. Donauertam & Ratisbonam vrbes ad Danubium ſitas, FERDINANDVS Hungariæ Rex armis receperat; ad Nordlingam caſtra habebat, vrbem prælio mox ſecuto,quàm ſuâ antehac famâ nobiliorem. Non procul inde hoſtis conſederat,dubius rémne prælio tentaret, an cunctando traheret bellum: & incerta certis præponendo daret operam, vt quos ſine periculo aggredi non poſſet, obſeſsione viarum & commeatuum interceptione fatigaret. Suadebat poſtremum Hornius, negabatque tot annorum labores & victorias paucarum horarum fortunæ committendas; nec vnius vrbis conſeruationem,totius exercitus diſcrimine quærendam eſſe.Nordlingam etſi amitterent,habituros ſe tamen maximam Germaniæ partem in poteſtate: exercitu deleto, omnia victoribus ceſſura. Non eſſe quòd belli pœniteat,ſi quæ hactenus cepiſſent, ſeruare poſſent.In eo victoriam ponendam,ſi non vincantur.Multos dum cupidiùs quàm prudentiùs noua acquirere laborant, ea quæ parauerant è manibus amiſiſſe. Nec magis laudandos Duces qui ab incerto prælio, quàm aleatores qui ab vno teſſeræ iactu omnes fortunas ſuas poſſeſsioneſque pendere volunt. Ad hæc cùm numquàm non ambigua pugnæ ſors ſit,hoſtem (ſi vera referantur) numero ſuperare: ſin autem,faciliùs eius & reprimi curſum & atteri vires poſſe.Denique ſi confligere placeret,non addendam conſilio ancipiti noxiam ſemper præcipitationem. Othonem Rhijn-grauium cum quatuor peditum, duobus equitum millibus vix diei itinere diſtare: id ſubſidij non ſine temeritatis notâ neglectum iri. Nimiam fiduciam ſæpè calamitatis initium fuiſſe. *Suadet VVimarienſis.* Contrà Wimarienſis Dux(penes quem imperij ſummam Sueciæ Cancellarius Oxenſternius eſſe voluerat)vt erat præfidenti ingenio,inuadendum ſine morâ hoſtem ſentiebat.Cunctationi locum eſſe,vbi vel non neceſſaria pugna, vel dubia multùm victoria ſit. Regem Sueciæ non cunctando, ſed pugnando tantum terrarum ſubegiſſe.Illas non aliter ſeruari,quàm partæ ſint.Non de Nordlingâ,ſed de famâ agi. Quam ſi amitterent,haud multò minorem,quàm ſi vincerentur,iacturam fore.Duas in conſpectu ſuo vrbes ſibi ereptas. Si tertiam occupari ſinant, fatendum aut vires ſibi ad auxilium, aut voluntatem defuiſſe. Hoc ſi ceteræ in animum inducant,quid cauſæ fore cur contra hoſtem reſiſtant, cùm intelligent celeritate deditionis æquiores conditiones, obſidionis tolerantiâ nullas ſuppetias expectandas eſſe? Multa addebat, magis pro fe-

rociâ animi,quàm militari prudentiâ. Qui fiduciam facerent, adesse exercitatissimos & cupidissimos pugnæ milites, Seciæ Germaniæque robur. Vtendum feruore,qui pro felici omine sit. Victoriam viribus,non numero constare. Neque tamen se,post Comitis Cratsij & Wirtenbergensium militum aduentum,pauciores numerare. Decessisse multum præteritis obsidionibus de Regis Hungariæ copiis. Debilem esse fœderatorum sub Lotharingo exercitum. Cardinalem non vltra quinque peditum,duo equitum millia adducere; atque ea non tam militum quàm mendicorum: quibus vix ad iter vires suffecissent, nedum ad pugnam superessent. Quamobrem quid necesse Rhingrauium expectari? periculosam moram esse. Vrbem ad extrema adductam. Eam magis expectatione præsidij, quàm suis munitionibus defendi. Si tam fortibus eius propugnatoribus promissam opem non ferant,daturos se causam cur à suis aliquando deserantur, qui eos,cùm iuuare possent,priùs deseruerint. Hæc memoranti Wimariensi assentiebantur quidam. Alij qui consilium non probabant,imperium audiebant.

Decernunt acie confligere.

Mouent castra,

Decretâ pugnâ, castra mouent: primùm vt dissimulato consilio hostem imparatiorem reperirent; Vlmam versus: mox obliquo itinere Nordlingam deflectentes, instructis ordinibus ad Catholicorum castra appropinquant. Id vbi nuntiatum, simulque cognitum pugnaturos aduenire, mirari nostri audaciam, mox de temeritate lætari. Siquidem postquàm se Cardinalis cum Hungariæ Rege & Lotharingo coniunxisset,nihil magis timuerant,quàm ne timerentur; cumque acie certare cuperent, existimauerant quærendum sibi hostem non expectandum. Iam enim & numero superiores erant, & Cardinali in Belgium maturanti expediebat res Germaniæ confici, credebantque hostem, si prælio vinceretur, bello quoque victum iri: neque posteà difficile fore Hungariæ Regi victricia arma quò vellet circumferre, & victoriâ partâ illius quasi fructus colligere. Ergo cùm detrectare hostis, nos optare prælium deberemus, fecit ipsius præfidentia, vt non tam è re suâ, quàm è voto nostro bellum administraret, pugnæque non tantùm copiam faceret,sed etiam necessitatem imponeret. Nimirum cùm sua plus æquo extolleret, quæ ad hostem accesserant subsidia, dignè non æstimabat: quasi nesciret & de quâ gente essent, & sub quo Duce venirent. Cùm in Suecico exercitu spes, in Austriaco maius robur esset, illi ad inuadendum hostem, hi ad excipiendum se parant, ambo nec de ineundâ fortiter pugnâ, nec de obtinendâ victoriâ dubij. At paris consilij ac spei quàm dispar ratio? Solet vt plurimùm euentus belli caussam sequi, & velut æquus iudex, pro quo ius facit,ei victoriam dare. Ius vnde staret,quis nisi iniustus ambigat? ab his defendebatur suum, ab illis alienum imperium contra fas impetebatur: his religionis conseruatio, illis euersio cordi erat: hi asserendæ in libertatem Germaniæ, propulsandæ vlciscendæque iniuriæ voluntatem; illi spoliatorum templorum, trucidatorum mortalium, excisarum crudeliter vrbium conscientiam adferebant. Hinc denique Austriaci, illinc Sueci stabant: Sueci longo militiæ vsu, & audaciâ multis successibus confirmatâ freti; Austriaci cùm victoriam à virtute suâ sperare possent,magis tamen à Diuinâ indulgentiâ expectabant,gnari nec impietatem diu felicem,nec infelicem pietatem esse.

mirantibus & lætantibus Catholicis.

Expenduntur vtrimque rei momenta.

Vtrimque in pugnam ardent.

Sæpè euentus caussam sequitur.

Caussæ vtrimque apponuntur.

Sic constitutis animis,& in tam dissimili caussâ,simili fiduciâ erectis,par quoque cura & sollicitudo erat. Imperatores,Duces Tribunosque conuocare; consilia de summâ re maturè inire,hostilia indagare; casus prospicere; euentus expendere; qui explorent aditus, quique occupent mittere. Quæ omnia licet prælium commissuris haud insueta, in FERDINANDIS tamen

Imperatores muneris sui partes explent.

DELINEATIO ACIEI ET PUGNÆ AD NORTLINGAM VI. SEPTEMBRIS. Aº M.DC.XXXIV.



A NORTLINGA a Cæsareis obsessa.
B CAMPUS in quem copiæ Catholicorum die quinta Septemb ab occasu Solis usque ad ortum sequentis colliguntur.
1 Serenissimi REX HUNGARIÆ ET CARDINALIS HISPANIARUM INFANS.
2 Cohortes ad custodiam Serenissimorum Regis Hūgariæ et Cardinalis Infantis.
3 Legio Longobardica Marchionis Lunati
4 Legio Hispanica Comitis Fuenclara.
5 Marchio de Grana Tormentorum Cæsareorum Generalis Præfectus.
6 Legiones Burgundicæ Comitum De la Tour et De Arberch
7 Legiones Neapolitanæ Marchionis Turrecusi et Petri de Cardenas.
8 Legio Neapolitana Principis S Severi
9 Reliquæ copiæ Cæsareæ et Ligæ Catholicæ summo mane diei sextæ Septembris huc collectæ.
10 Impedimenta et sarcinæ Serenissimorum Regis Hungariæ et Cardinalis Infantis.
C CAMPUS in quo cum hoste pugnatum.
11 Castra hostilia trium horarum itinere a Nortlingā.
12 Iter Ulmam simulat hostis die quintā Septembris. hora decima matutinā.
13 Ipso meridie flectit iter, aciemque explicat.
14 Prima nocte siluam hostis aggreditur, eamque media nocte totam occupat.
15 Munitiones terreæ eadem nocte ab hoste constructæ.
16 Turmæ equitum hostilium specie subsidij obsessis ferendi aliquantum admotæ, dum interim reliqui hostes collem aggrediuntur

Copiæ hosti oppositæ in dicto campo

17 Dux Lotharingiæ et Comes Ioannes de Weert cum copiis Electorum et Principum Imperij
18 Marchio Spinola Generalis Præfectus equitū Hispanorum et Paulus Denticī Locum-tenens cum aliquot turmis Hispanicis.
19 Pedites Hispani 300. ex Legione Com. Fuenclara.
20 Eques Cæsareus.
21 Eques Cæsareus levis armaturæ.
22 Insidiæ positæ ad impediendas suppetias hostiles urbi inferendas.
D COLLIS unde hostis post septemdecim irruptiones repellitur.
23 Prima hostium acies Duce Cratz.
24 Secunda Duce Gustavo Hornio.
25 Legio ab hoste e siluā emissa

Copiæ hosti oppositæ in colle.

26 Comes Galassius Generalis Cæsareanorum, et Marchio de Leganes Generalis Hispanorum.
27 Comes Piccolhomini Mariscalcus Cæsareorum, et Comes Serbelloni Tormentorum Hispanicorum Generalis Præfectus.
28 Mixti equites ex Cæsareis et Hispanis.
29 Gerardus Gambacurta cum equite Neapolitano, Burgundico et Cæsareo primos hostium congressus in colle excipit oriente Sole.
30 Legio Germanica Leslæi.
31 Legio Hispanica Martini de Hydiaquez.
32 Legio Neapolitana Gasparis Toraldi.
33 Legiones Comitis de Salms et Wormesser.
34 Cæsareani in subsidium.
35 Legiones Longobardicæ Comitis Pannigaroli et Caroli Guaschi
36 Pedites mille selecti ex Cæsareis.

Hora undecima Catholicis undique in hostem irruentibus Dux Weimar ad suos subsidio properat, et post munitiones terreas 15. tertiam aciem locat. Mox cum omnibus suis quaquaversum latissime in fugam effunditur

E FUGÆ VIA.
37 Fossula fugientibus obvia, plurimis hostibus fatalis.

Tandem peditatus omnis concisus Equitum maior pars. Tormenta capta 84. currus bellici 80 impedimentorum currus ad centum, vexilla ad tercentum.

Numerantur		Equites	Pedites
	REX HUNGARIÆ	6000.	7000.
	SER INFANS CARD.	3500.	12000.
	Dux Lotharingiæ	3000	3000.
		12500.	22000.
	Weymar	4500.	5000.
	Gustavus Horn	4000	2300.
	Cratz	800	3000
	Wirtenbergensis		5000
		9300	15300.

I
n
c
r
M
c.

m
ti
le
bi
th

E.
di
v.
qu
m
ta

V.
qu
pu
ar

Sa
ue
ca
ſe

C
vi
qu
po
tu

Im
to
m
ſui
ex

tamen non parum admirationis habebant. Eâ ætate quâ ceteri milites esse incipiunt, summorum Ducum munia exequebantur. Maiorem in prouidendo curam, in consultando prudentiam, in ordinando exercitu peritiam ne ab exercitatissimis quidem desiderares. Nec suis vtrimque partibus Tribuni deerant: milites ad strenuè agendum cohortari, animos ac spem diuersis ex caussis subdere. Illi partos hactenus triumphos, hi acceptas iniurias; illi mortui Regis memoriam, hi viui præsentiam; omnes victoriæ momentum, & præmia proponere: ita incensos in ordines mittere.

Tribuni suas agunt.

Pridiè quàm plenâ acie cerneretur, sub vesperam cùm siluulam tenerent nostri inter vtrumque exercitum opportunè sitam, post acriorem quàm pro numero defendentium pugnam, inde eiecti sunt. Paucorum virtutem multitudo irruentium superabat. Quàm in occupandâ siluâ vehemens hostis, tam eâ obtentâ improuidus fuit. Collis siluæ contiguus assurgente clementer solo eminebat. Inde in omnes obsidentium copias despiciebatur. Si illum nondum satis firmis præsidiis munitum, eodem impetu hostis inuasisset; poterat assiduis tormentorum ictibus impunè subiectum exercitum infestare, eoque adducere, vt neque sine clade se subtrahere, neque sine certissimo periculo congredi posset. Sed aduenerat tempus, quo Germania à continuis tot annorum cladibus aliquando respiraret; & ad illos quasi postliminiò rediret victoria, à quibus ad religionis hostem tantisper recesserat: vt periculi magnitudine pensatâ, Germania cognosceret, quantum Hispaniæ; orbis autem Christianus, quantum Domui Austriacæ deberet. Hostis cùm omisso salubriore consilio, quasi ereptâ sibi diuinitus mente, reliquum noctis quietus ageret, neque ad insidendum collem sese è siluâ promoueret, nostri eius muniendi spatium nacti sunt. Iam agger, qualem temporis angustiæ, & petrosæ terræ malignitas patiebantur, ductus erat: iam tribus legionibus Germanicis quarta Neapolitana se adiunxerat: equites mille partim à Rege, partim à Cardinale submissi, cum tormentis aduenerant. Enimuerò non satis in his omnibus præsidij fuisset, nisi alteram generis sui legionem ad ceterarum subsidium, vel potiùs ad exercitus & Imperij salutem, Cardinalis submisisset. Tanti refert quo quemque loco adhibeas, quas partes quibus præsidiis firmes; neque solùm quàm fortes milites habeas, verùm etiam quàm prudenter atque aptè ad pugnam disponas.

Hostes siluam vi occupant.

Non prosequuntur victoriam.

Nostri nocte collem muniũt.

Munito colle, in eoque Comite Piccolominio & D. Ioanne Serbellonio mediam aciem curare iussis, cetera pro loco ac copiis instructa est. Dexterum cornu, in planitie multorum militum capaci, & ad equestrem pugnam aptâ, Duci Lotharingiæ commissum. Ei præter exercitum cui præerat, maior pars copiarum Regis Hungariæ cum aliquot Hispanorum legionibus addita. Sinistrum latus, cui minùs timebatur, legio Germana cum mille equitibus seruabat. Quæ supererant legiones, partim vrbi, ne qua inde eruptio fieret, oppositæ, partim in subsidiis collocatæ. Tormenta vbi maximè vsus erat, adhibita. Vniuersæ aciei, post Regem Cardinalemque, Comes Galassus & Marchio de Leganes moderabantur: quos nescias de propriâne cuique prudentiâ, an de mutuâ concordiâ magis laudes. Hostilis exercitus mediam aciem, quæ quatuor selectissimorum peditum & quinque equitum millibus constabat, ducebat Gustauus Hornius. Dextrum cornu Comes Cratsius tuebatur; sinistrum Wimariensis sibi sumpserat.

Serbellonius & Piccolominius mediam aciem curant: dextrum cornu Lotharingus.

Hostes aciem instruũt:

TABVLA PVGNÆ NORDLINGANÆ.

Instructis per noctem aciebus, manè dubiâ adhuc luce horrendo tormentorum fragore pugnæ prælusum est. Vbi plenè illuxit, Hornius signo dato aciem promouet: & quoniam occu-

innadunt collem. occupaſſe collem pænè viciſſe erat,in eum inuehi iubet. Excepêre primum impetum Itali ac Germani. Reſtitêre fortiter Itali. Germani,quorum multi tirones erant,laxatis ordinibus ceſsêre. Ad Hiſpanos,qui ceteris inter ſe implicatis taciti collegerant iras,pugna deuenit. *Hiſpanorum virtus:* Primus cum pauidis & perculſis tironibus labor. Hos,ne in aciem ſuam miſcerent,ſtrictis gladiis, directiſque haſtis repulſos circuire & ordines inſtaurare cogunt. Ipſi vultu animiſque ardentes prælium capeſſunt: in locum ab aliis deſertum ſe inferunt: hoſtem primo *acris cum Suecis pugna:* ſucceſſu ferociorem deturbant: ſtragem non paruam edunt. Suecus repelli ſe indignatus ab Hiſpanâ legione, vnde duas deiecerat, in furorem agi, vehementiùs irruere,totâ vi, ſed in vanum,niti. Hiſpano fortitudo pro vallo erat: vtq; in mari rupes irruentes vaſto impetu fluctus frangit & elidit; ita ille, cùm fortiſsimè impeteretur, fortiùs impetentem repellebat,ne tum quidem quidquam turbatus cùm incenſo ſulphureo puluere hoſtilem conatum importunus ſanè caſus adiuuaret. Cœperat timere hoſtis,quem contempſerat,Ferdinandi militem: nondum tamen aut ſpem, aut animos dimittebat. Feſsis ſauciiſque recentes ſubſtituit, numerum auget, extremum virium ſuarum iam propè efferatus experitur. *pugnandi peritia.* Numquàm aliàs plures cecidêre. Hiſpani cùm præſentiſsimis animis, neque minore peritiâ quàm robore pugnarent, vbi hoſtem vno impetu,vt fit, glandes ſuas emiſſurum vident,ad terram ſubmittentes ſe,fruſtrauêre ictum: mox ſe momento erigentes, ſuaſque viciſsim eiaculantes, cùm in vicinum & confertum hoſtem nulla innoxia caderet, plurimis vitam,omnibus animos ademêre.

Sueci aggrediuntur fruſtrà Italos: Deſperatâ de Iberis victoriâ,in Italos ſe conuertunt. Sed cùm & illi robore ſuo inuicti, & noui acceſsione præſidij, quod Duces ſubmittebant,alacriores eſſent; nihil hinc etiam niſi ſtragem retulêre. Quare,dum nihil ſe plurimis amiſsis profeciſſe vident, paullatim de- *deficiũt.* ficiunt: & vt quædam animalia amiſſo aculeo, ita iſti velut effusâ tot impreſsionibus omni virtute,langueſcunt.Intereà in planitie inter equites,qui hactenus ſpectarant magis quàm inierant prælium, certamen ingraueſcit. Ducebat hinc agmen Wimarienſis, inde Carolus Lotharingiæ Dux; ille imperatæ temerè pugnæ conſcientiâ ferocior, hic dignum genere ſuo,dignum cauſsâ ſpiritum gerens. Lotharingo aderat Philippus Spinola Marchio de Balbazes,equitum,quos Cardinalis adduxerat,Magiſter. Is cùm variis locis equitatus ſui partem peritè ordinaſſet,hîc cum reliquâ pugnabat, non conſilio,quàm manu promptior. *Committitur prælium in planitie cum VVimarienſi.* In partem Ioannes Wertanus veniebat, ad cetera belli decora hodie non minimam laudem additurus. Wimarienſi Duces non ignobiles aderant. Acriùs cum eo,quàm diutiùs certatum. Cùm aliquamdiu acies inter ſe implicatæ cruentum & dubium prælium ediſſent, noſtri virtuti addentes dolum, hoſtem retrocedendo eò abduxerunt, vbi inſidias *Ducitur hoſtis in inſidias.* inter caſas,circumſitaſque caſis arbores,collocarant. Imprudens in eas hoſtis incidit: plurimi extemplò cadere, ceteri inexpectatâ pugnâ perculſi, ordines confundere: tandem deflectentibus eò noſtris ex colle peditibus,& intecta latera verberantibus,omnes pedem referre.Auxit terrorem immittens ſe turbatis eques.

Virtus Ducis Lotharingiæ. Dux Lotharingus,qui hactenus in primâ acie verſatus ſuis incitamento,hoſtibus damno fuerat,nec tantùm omnibus prouiderat,ſed & ipſe multùm pugnârat,omnes & ſtrenui militis & boni Imperatoris partes expleuerat; tandem incredibili ardore animi, quà ſolutum hoſtium ordinem videt,equum adigit, obuios ſternit, Wimarienſis ſigniferum ferro inuadit,ſignum vi extorquet, tantò ceteris virtute præſtantior,quantò maior dignitate. Valuit ad inflammandum militem exemplum Ducis. Quamquàm,vbi certa victoriæ ſpes affulget, haud

haud aliis magnoperè stimulis opus est. Simile decus sibi quisque petere: hostem velut ad æmulationem ferire: repugnantes pellere, pulsos insequi: reficiendis ordinibus nec tempus, nec spatium dare. Tandem cùm sibi locum vincendo facerent, siluam, in quâ disposita hostium tormenta erant, occupant. Amissis tormentis desperare Wimariensis miles, & apertè terga vertere. Non tam pugna quàm cædes esse. *Recuperatur silua.*

Inchoata hac parte victoria iis qui in colle pugnabant feruorem geminabat. Ad Hispanos Italosque veterana Germanorum legio accesserat. Tunc demum patuit priores, quæ pulsæ fuerant, non virtutis, sed longioris militiæ defectu cessisse. Ergò & hìc acerrimè res geri. Qui hactenus repulerant vim, nunc inferre: nolle aliis fugati primùm hostis palmam concedere: lassitudinem corporis animi magnitudine supplere. Piccolominius inprimis & Serbellonius animis ardere, hortando, imperando, pugnando instare. Hostis segniùs resistere, salutem magis quàm victoriam spectare. Mox vt suos in sinistro cornu pulsos, nostros insequentes iamque latera sua preteruectos certò aduertit, veritus ne à tergo circumuentus spatium euadendi amitteret, in fugam effusissimè sese dare. Tum verò multum sanguinis fusum est. Inhærebat tergis fugientium victor, profugos cadauerum acerui, & ipsa festinatio retardabat. Et quoniam molem pugnæ pauciores nostrorum sustinuerant, ceteri, quibus adhuc integræ vires & recentes erant, fatigatum labore & vulneribus hostem facilè assecuti tam atrociter cædebant, vt eos non tam victoriam persequi, quàm supplicium de impiis sumere diceres. Voluebantur sacrilegæ in sanguine suo turbæ, & continuis funeribus, equis, armis cuncta latè tegebantur. Alij semiuiui, quos vires in fugâ defecerant, inter mutuos gemitus expirabant. Alij mutilatis membris, cùm reliquam sui partem aliquousque protraxissent, ab equitibus deprehensi miserabiliùs interibant. Tanta strages fuit, vt ex sexdecim & eò ampliùs peditum millibus, præter quatuor captiuorum millia vix quisquam viuus euaserit. Ex nouies mille & trecentis equitibus non quinta pars; tormentorum impedimentorumque nihil omnino superfuerit, quod in victorum manus non veniret. Inter paucos qui fugâ salutem inuenerunt, Wimariensis, cùm recentem equum nactus esset, elapsus est. Alia Comitis Cratsij sors fuit. Cum eo Hornium alterum hostium caput nostri comprehenderunt, virum quàm in dissuadendâ primùm, tam posteà cùm Bernardi Saxonis consilium magis non probare, quàm non iuuare posset, in moderandâ ad collem pugnâ prudentem, neque maiorem ostentatorem suæ, quàm alienæ virtutis æstimatorem. Hic (vtar libentiùs hostis testimonio) cùm à prælio omnibus victoribus summam, maiorem tamen Hispanis atque Italis laudem tribuisset, addidit desinere se mirari, quòd tot sibi terras subegissent, & in omnibus mundi partibus victoriarum suarum monumenta fixissent Hispaniæ Reges, qui talibus tamque inuictis nationibus imperarent. Deinde cùm captus ob virtutis famam à Cardinale inuiseretur: Non habeo, inquit, quod de fortunâ multum querar, dum cladis meæ auctorem video. Si victoriam mihi inuidit, eum certè victorem dedit, cui cessisse non indecorum puto. Quod siue FERDINANDI conciliandi gratiâ (vt facilè fortunæ verba accommodantur) siue pro sensu suo diceret, certè præcipuam eius diei gloriam in Hispanum exercitum conferebat. Quam cùm ille officiosè declinaret, Germanos Burgundosque laudabat.

Aequè feliciter in colle res geritur. *Fuga & cædes hostium.* *Quantã cladem hostes eo die acceperint.* *Capti Hornius & Cratsius.* *Hornij de victoribus sententia.* *Visitur à Cardinale.*

Miles militi, Dux Duci, exercitus exercitui de concordiâ, de mutuo auxilio, de nauatâ strenuè operâ, de domitis hostibus, de Imperio ac religione seruatis gratulabantur. Omnes ad Imperatores conuersi, illis victoriam quam & ductu suo obtinuerant, & antequàm *Mutua victorũ gratulatio.*

N pugna-

pugnaretur, pietate meruerant, potiſsimùm adſcribere, & illorum nomen, cuius vel ſolius cogitatione fortiùs dimicaſſent, in cælum laudibus efferre. Vt autem intellexêre non conſilio tantùm, ſed & corporibus eos pugnæ interfuiſſe, eoque loco conſtitiſſe, vbi fortunæ non parum in illos licuiſſet, & ad ipſorum quidem latus alterum tormentario globo abreptum, alterum grauiſsimè ſaucium, ne ad terram affligeretur, Cardinalis manu ſuſtentatum; mirabantur quidem eam impauidi atque inuicti animi conſtantiam, optabant tamen ſua illis impoſterum carior vita eſſet; & periculo illis commiſſo, quibus ſuo tantùm fato vincere aut mori liceat, ſe ad tot gentium ſalutem Germaniæque inprimis ac Belgij incolumitatem reſeruarent, neque tantum magnanimitati ſuæ, quantum aliorum neceſsitati darent. At Imperatores, vt erant non tam ſui quàm Diuini honoris ſtudioſi, Deo palmam acceptam referre: illius magis, quàm ſuâ virtute partam dicere: Deo grates agere, & ad ceteros qui ſupereſſent ipſius nominis inimicos debellandos ſe victoreſque ſuos exercitus offerre. Planè vt ſcires ex illorum poſt victoriam ſenſu, quid ſibi propoſitum ante pugnam habuiſſent, & vel inde Auſtriacos diceres; quòd ſicut maximè pro Deo pugnaſſent, ita quòd viciſſent eidem potiſsimùm tribuerent, eamdemque more Maiorum ſuorum & belli cauſſam, & triumphi habuiſſent. Nos, poſt militum Ducumque, quos narrauimus, poſt aliorum, quos legimus toto ferè Chriſtiano orbe editos plauſus, hoc epinicion accinimus.

Ferdinandorum in pugnâ animi & corporis præſentia,

& pietas partâ victoriâ.

ELEGIA
DE VICTORIA
AD NORDLINGAM OBTENTA
A SERENISSIMIS
FERDINANDO IV.
HVNGARIÆ REGE
ET
FERDINANDO
HISPANIARVM INFANTE.



Plaudite io populi, patriæ quos cura Deique
  Tangit, & antiquæ relligionis honor.
Plaudite, fortunam qui veſtram ducitis eſſe,
  Auſtriacæ Numen quam volet eſſe Domus.
Et tu flere tuos (quamuis iam ſæpè coacta,
  Cæſare ſub tali non patienda, pati)
Deſine flere tuos tandem Germania caſus:
  Deſine fatorum de grauitate queri;
Triſtibus vt paſsim tua videris oppida flammis,
  Sanctaque cum ſignis templa flagrare ſuis,
Ciuibus exhauſtas vrbes, cultoribus agros,

Pinguia

Pinguia de domini ſanguine prata ſui;
Deletaſque acies, totiſque cadauera campis
Sparſa, cruentato non benè tecta ſolo.
Germanas aquilas hoſti ceſsiſſe pudendo,
Vincere conſuetos vincla tuliſſe Duces:
In mare Danubium currus voluiſſe viroſque,
Purpureas Rheni ſæpè fuiſſe vias:
Et quæ, quàm dici poſſent, maiora tuliſti,
Deſine funeſtis ingeminare modis.
Iam facies rerum verſa eſt: iam cœpit olympo
Candida depulſis nubibus ire dies.
Suecia dat pœnas: verſiſque in proſpera fatis,
Vltio ſumpta tuis dignaque parque malis.
Gratia magna Deo. Vetuit Deus ipſe manere
In ſibi ſacrato barbara ſigna ſolo.
Emendare ſuam voluit, non perdere, gentem:
Et pietate minor, vt ſolet, ira fuit.
Magna ſed & vobis, ô altera cauſa triumphi,
O animis ſimiles nominibuſque Duces,
O conſanguinei duo fulmina FERDINANDI,
Vobis poſt vnum gratia magna Deum.
Per vos ille fauet nobis: quas numine veſtro
Protegitis terras, protegit ille ſuo.
Per vos parta ſalus; per vos Nortlinga rependet
Hactenus amiſſum quidquid vbique fuit.
Spes vbi nunc, ô Suece, tuæ, voceſque minæque?
Illa vbi Cæſareæ certa ruina Domus?
Nempe priùs victor fueras quæcumque minatus,
Turpiter hæc victus cogeris ipſe pati.
Suecia Germanis leges an ſcriberet oris?
Hanc populus dominam diceret ille ſuam?
Imperij ſacras regeres peregrinus habenas?
Auſtriacâ gereres ſceptra gerenda manu?
Vel gereres, vel Marte tuo quæſita, cuiquam,
Cui tua te iungunt pacta, gerenda dares?
Demens qui temerè ſperaſti talia; quamuis
Sors fuerat cœptis viſa fauere tuis.
Demens perpetuos tibi qui ſpondere triumphos
Auſus es, hos aleret cùm Domus iſta Duces.
Quorum hic auſpiciis fraternis, ille paternis,
Inuictuſque animis eſſet vterque ſuis.
An tibi non iſtis metuebas talia ab annis,
Pugna ſit à caſtris quòd priùs orta tuis?

Audeat

Audeat in ſæuos vltrò ſic præda leones,
Audeat in rabidos ire voranda lupos.
Si neſcis, armis, non annis, bella geruntur:
Virtus, non ætas, ferre trophæa ſolet.
Si neſcis, hoſtes numquàm vt non vincere poſsint,
Auſtriacis robur contigit ante diem.
Quod vobis vſus, prudentia contulit illis,
Ingeniumque annis maius vtrique ſuis.
Quod vobis fortuna, hoc illis fata Deuſque,
Hoc ſtirpi virtus ingenerata dedit;
Quæ, veluti duris truncata bipennibus ilex,
Creſcit in immenſum cladibus ipſa ſuis.

Auſtriacorum in aduerſis incrementum.

Cladibus, inquam, non tantùm victoriis: quamquàm hæ ſine illis vix vnquam Auſtriacis accidant, eâ æternaturæ familiæ vel potentiâ vel magnanimitate, vt ſicut hæreticorum malè premitur odiis, ita fruſtrà appetatur armis; & quemadmodùm ingentes feras, ſi morſu à minoribus appetantur, non tam lædi quàm irritari videas; ita ſi qua in illam (vt ſunt humana) aduerſa incurrant, non tam ad ruinam cedant, quàm ad virtutis incitamentum. Sed quoniam & alius erit de hoc argumento diſſerendi locus, nunc poſtquàm de pugnâ victoriaque egimus, quod ad eius imaginem, quodque ad FERDINANDI iter propiùs attinet, exequamur.

Non poterant tantæ res, tamque varij euentus, qui in prælio diu dubio, & vtrimque ſummis animis facto, per multarum horarum ſpatium contigerant, in exiguâ tabellâ proponi. Pictor ceteris adumbratis magis quàm expreſsis, quod fuit in illo præcipuum, id perfectiùs elaborauit. Cùm totos exercitus non poſſet, Imperatores pleniùs ſub aſpectum dedit; ratus quicumque hos viderent, eos præcipuam victoriæ partem, & virtutum, quæ in ſingulis militibus eluxerunt, quamdam quaſi ſummam viſuros.

IV. TABVLA.

Eques vterque exhibetur, ad eum modum quo quondam Latino bello Caſtor & Pollux, nuſquam non ſalutares Diui, Romano exercitui iuxta Regillum lacum apparuiſſe, & pugnantibus auxiliati eſſe perhibentur. (Flor. l. 1. c. 11.) Vt enim tum diuinâ iſtorum ope adiutos ſe Romani, & ideò inuictos fuiſſe crediderunt, quia præſentes in pugnâ Deos habuiſſent; ita FERDINANDORVM quà præſentiâ, quà virtute effectum eſt, vt ad Nordlingam Catholici exercitus & pugnarent fortiùs, & feliciùs ſuos ac Religionis hoſtes debellarent. Epigraphe picturæ ſubiecta noſtrum potiſsimùm FERDINANDVM ſpectabat. Atque vti priores maris Alpiumque traiectum, ita hæc factam per inimicas terras, perque obſtantes exercitus ferro viam noto illo Virgilij dicto teſtabatur: (*Eius epigraphe.*)

FIT VIA VI. (2. Æneid.)

Viâ factâ nihil habuit FERDINANDVS antiquius, quàm vt in illam ſe confeſtim daret. Quamuis enim Germani eum Principem, victoremque exercitum ægrè dimitterent; tamen quia ſic conſtitutum erat Imperium, vt nihil reſtare videretur, quod non in poteſtatem aut veniret vltrò, aut facilè redigi poſſet; non ſuſtinebat FERDINANDI in Belgas amor, vt eos præſentiâ ſuâ diutiùs, quàm neceſſe eſſet, fruſtrari pateretur: præſertim cùm (*FERDINANDVS maturat in Belgium.*)
idem



FIT VIA VI.



idem ferè esset iter in Belgium & victoriæ cursum sequi; pérque eas regiones transire oporteret, quas peti etiam Germaniæ rebus maximè & vtile & necessarium erat. Igitur Wirtenbergiam omni commeatus genere maximè abundantem, & reficiendo militi aptam, simul cum Regis exercitu ingressus est. Vix fuit quod resistere aut posset aut auderet. Wirtenbergici omnes victos se, &, quod caput erat, reos agnoscentes, id vnum ne funditus euerterentur, neque vitâ ac bonis per vim spoliarentur, submisse postulabant. Nec reperêre difficiliùs misericordiam, quàm implorauêre. FERDINANDI pro suâ clementiâ, solâ victoriâ contenti, victoriæ iure vti noluerunt: satisque habentes ad officium reduci rebelles, spoliari ac perdi supplices vetuerunt. Non aliter, quàm si per amicam terram incederetur, miles à prædationibus, ab incendiis, à cædibus, à virginum mulierumque violationibus seuerissimè coërcitus. Et, quoniam militarem licentiam difficile est solo imperio continere, dum quisque propter multitudinem euadere aut latere sperat, pœnæ frequenter adhibitæ. Qui peccasse deprehendebantur, alij in furcam acti, alij aliter mulctati. Si quid militum libidine, nihil certè Imperatorum permissu, crudelius actum est. Adeò vel in eos quos vicêre lenes Austriaci, hostibusque suis, non modò superiores, sed & dispares sunt.

Ingreditur VVirtenbergiam.

FERDINANDORVM clementia.

Militum licentia coërcita.

Ex Wirtenbergiâ in Palatinatum inferiorem deuenêre. Hîc ab inuicem diuulsi sunt Imperatores illi, quos, & antequàm mutuò conspexissent, nomen, genus, affinitas, voluntas, omnia denique necessitudinis atque amicitiæ vincula coniunxerant; &, cùm simul fuissent, ætatis, indolis, morum, virtutis similitudo, belli victoriarúmque societas, mutuus aspectus vsusque, & incredibilis vtrimque beneuolētia atque amor multò arctiùs colligârant. Diceres à Ionathâ Dauidem auelli. Quod quoniam populorum saluti dandum erat, nescio quem locum designabant, vbi se denuò inter victores exercitus armati salutarent, & acceptam ad Nordlingam gloriam non absimili victoriâ renouarent. Eâ spe discessêre Principes, qui ad Austriaci nominis gloriam geniti paucarum hebdomadarum spatio confecerant, quorum magnitudinem mirata posteritas, annorum opus fuisse dicet; nec aliunde credet tam breui tempore confecta, quàm quia dicetur FERDINANDOS fecisse. FERDINANDOS, inquam, eâ domo natos, eâ disciplinâ iisque maiorum ac parentum exemplis institutos, vt quemadmodùm virtutibus ætatem, ita felicitate spes ac vota mortalium præueniant.

FERDINANDORVM *diuulsio.*

Rex ad reliquum belli, Cardinalis ad reliquum itineris, curam conuerterunt, pari vterque successu. Et Cardinalis quidem viâ per Palatinatum & extremam Franconiam continuatâ, breui Mænum traiecit: mox Rhenum. Ad Catholicorum terras, quæ tum erant extremi Germaniæ fines, medio ferè Octobri peruenit. Ingentem animo lætitiam cepit dum, quod emensus erat, recolens iter, simul vnde, simul quò venisset, simul viæ longitudinem ac difficultatem, simul conficiendi felicitatem & celeritatem attenderet. Nam, vt omnia meliùs pro merito æstimamus, dum facta expendimus, quàm dum aggredimur; quamuis initio & Deo, & sibi, & militum suorum virtuti confisus, nihil de exitu rerum, quas moliebatur, nihil de itineris successu hæsitarat; iam tamen tot rebus simul expensis & sub vnum quasi aspectum datis, admirator erat eorum operum, quorum auctor & patrator fuerat. Etsi enim in eo constaret operum summa, quòd tantum exercitum, tantum impedimentorum, tot murales machinas secum trahentem, primùm per illos

Cardinalis in Belgium properat.

Expendit emēsum iter.

Nubiferos montes & saxa minantia cælo, Sil. Ital.

deinde per tam vasta terrarum spatia incolumem traduxisset; meminisse poterat, primum se esse, cui sub Catholici Regis auspiciis id præstare contigerit: alterum ferè tantum copia-

rum erat, quàm vllius vnquam ductu inde in Belgium commeasset. Sed & prioribus patuêre plerumque transitus, viaque conficienda tantùm, non etiam aperienda fuit. FERDINANDO præclusa, infesta, inimica omnia: quà veniret non tam proficiscendum, quàm pugnandum; non tam transeundum, quàm perrumpendum fuit. Id cùm repeteret animo, respiceretque regiones à se peragratas, ad quas ne peruenturum quidem inimici iactauerant; neque peragratas tantùm, sed & subactas, in libertatem assertas, dominis restitutas, quamquàm, vt dixi, nihil horum insperatò acciderat, tamen postquàm euenissent, in ipsiusmet animo, nescio quem admirationis sensum magnitudine suâ commouebant. Inter eas cogitationes Coloniam appropinquabat. Quam vrbem multis rebus sacrisque Diuorum reliquiis insignem cùm visere cuperet, exercitu rectà in Belgium tendere iusso, ipse cum paucis suorum, ad eam prono Rheno deflexit.

Venit Coloniã Agrippinam.

Erant Coloniæ præter Ser.^mum Archiepiscopum, Elector quoque Moguntinus, & Herbipolitanus Princeps, qui cum Neoburgico Duce aduenientem excepêre. Deus immortalis! quâ lætitiâ? videbant eum cui deberent quòd de amissis recipiendis securi, de amittendis quæ seruârant nihil timerent. Beneuolentia ex beneficij recordatione crescebat. Quamquàm si & persoluta ab aliis officia reputes, haud immeritò ambigas aliquídne fuerit quod ad illa addi posset: adeò omnes in eum, iam inde ab itineris initio, humanitate certarunt: quos cùm vniuersos exprimere pictor non posset, ex vtroque ordine sacro profanoque singulos designauit. Vt hîc illud valeat:

Ab Electoribus Coloniẽ. & Mogunt. aliisque Principibus excipitur.

1. Æneid. —ab vno

Disce omnes. —

V. TABVLA.

Alterum artis defectum, quæ quod oculis discerni posit solùm exprimit, sensa animi non attingit, epigraphe supplebat:

SVPERAT PRÆSENTIA FAMAM.

Solent ea quæ diu expectauêre, cùm iam adsunt, minùs admirari mortales. Atque vti quibus videndis oculi assueuerunt, ea tandem stupere desinunt; ita quæ diu multumque cogitationi obuersata sunt, vbi aduenerint minùs animos percellunt. Secus FERDINANDO euenit. Cùm longè esset desideratissimus, iamq; pridem ex factis famâque notus, maiorem tamen admirationem sui præsens concitauit, quàm absens expectationem. Fama quæ omnia in maius efferre solet, hîc infra verum fuit. Id cùm omnibus, ad quos eum venire contigit, tum nobis inprimis fatendum est, qui Regiæ stirpis virtutem sæpiùs experti, non tamen antè felicitatem nostram pro merito æstimare potuimus, quàm vbi eum coràm intuiti, qualis esset fruendo didicimus. Neque enim vulgaria neque consueta dona sunt, quæ illi Deus, & in illo nobis concessit. Quamobrem iure, cùm tanto nondum bono potiremur, ingens eius desiderium; postquàm adepti sumus, ingentem lætitiam, spem, securitatemque animis concepimus. Hæ quatuor affectiones totidem figuris expressæ, pro statuis erant, quæ supremo operi insistebant.

FERDINANDVS superat famam.

Statuæ coronidi impositæ.

I. DESIDERIVM.

Prima desiderium referebat eo habitu gestuque qui esse desiderantium solet. Oculi ad cælum intuebantur. Eò enim plerumque aspectus dirigitur, quò vota mittuntur. Sic apud Virgilium Iouem precaturus

1. Æneid. pater Anchises oculos ad sidera lætus

Extulit.

Nihil



SVPERAT PRÆSENTIA FAMAM.



Nihil in ſupplicaturis vulgarius, quàm vt cùm Diuos inuocant, ſuſpiciant eorum ſedes, vnde opem expectant. Alæ ad humeros erant annexæ. Alas Deſiderio perinde vt Amori tribuimus, vt quemadmodùm Heliodorus ait, ſignetur pernicitas ac feſtinatio deſiderantium. Ea non tam in agilitate corporis ſita eſt, quàm in motu voluntatis, quæ votis ſuis haud aliter quàm aut pennis volucres, aut remigio naues quolibet celerrimè fertur. Moras nec facere nec pati nouit. Tempus omne, quo optata abſunt, longiſsimum ducit. Hinc illæ voces, *Moræ impatiens.* *4. Æthio.*

Longa mora eſt nobis omnis, quæ gaudia differt. *Ouid. ep. 18. Heroid.*

Et,

Si mihi non hæc lux toto iam longior anno eſt. *Virg. Ecl. 7.*

Hinc Romanus ad Pontum exul, patriæ (vt ſolet) cupidine tactus, Nunc, ait,

Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currus, *Ouid. 3. Triſt. el. 7*
Sparſit in ignotam qui rude ſemen humum.
Nunc ego Medeæ vellem frenare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tuâ.
Nunc ego iactandas optarem ſumere pennas
Siue tuas Perſeu, Dædale ſiue tuas.
Vt tenerâ noſtris cedente volatibus aurâ
Reſpicerem patriæ dulce repentè ſolum.

Vt properat, vt feſtinat, vt in patriam, à quâ corpore abeſſe cogitur, deſideriis volat! At non minùs quàm ille ſuum, ipſa patria Auguſti longiorem in prouinciâ moram facientis reditum poſtulat. Horatius:

Diuis orte bonis, optime Romulæ *Lib. 4. Ode 5.*
Cuſtos gentis, abes iam nimiùm diu.

Et inferiùs,

Vt mater iuuenem, quem Notus inuido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem ſpatio longiùs annuo
Dulci detinet à domo,
Votis ominibuſque & precibus vocat;
Curuo nec faciem littore dimouet;
Sic deſideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæſarem.

Vt ſimiliter Belgica FERDINANDVM quæſierit, vt vota ſoluerit, vt preces ingeminârit, vt moram impatienter tulerit, vt eius præſentiam aliis inuiderit, vt amanter queſta ſit, ſuis locis oſtenſum eſt. Nunc Deſiderij, non ſenſum affectumque, ſed effigiem explicamus, cuius altera nota erat quòd ex accenſo corde ſubtiliores erumperent flammæ. Ardet quiſquis deſiderat: & quoniam tectus ſuppreſſuſque ignis vehementiùs æſtuat, prodit flammas ſuas; nec diſsimulare, vt velit, poteſt. *& ardẽs.*

— quis enim celauerit ignem? *Ouid ep. 15. Her. Ep. 12.*
Eminet indiciis prodita flamma ſuis.

Simulacrum, quaſi lenire æſtum niteretur, manum alteram pectori admouebat, alterâ tenebat ſcutum, in quo ara cum accenſo foco & hac inſcriptione,

Virg. 9. Æneid. ILLIVS ORO REDDITE CONSPECTVM.

II. LÆTITIA. Desiderium Lætitia sequebatur. Lætitiam puella referebat ætate ceteris inferior, at formosissimi vultus venustate gratior. Blando risu & nictantibus leniter oculis, gestientis animi sensum prodebat. Teneram ætatem huic affectioni tribuerunt veteres, quòd ea nondum curis flagitiisque obnoxia angores doloresque adhuc ignoret, & quasi quoddam humanæ vitæ ver lætiores plerumque dies aspiciat. Seneca expendens ea, quæ variis hominum ætatibus, veluti diuersis anni tempestatibus, conueniunt,

Senec. in Hippol.

— propria (inquit) describit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Iuuenculæ caput distincta variè corona & intexti crinibus flores exornabant. Coronas in lætitiâ adhiberi solitas notius est, quàm vt latere quemquam posit. Certè neque ludis interesse, neque festos dies agere, neque conuiuia celebrare, neque Dîs facere, neque triumphare sine coronis veteres consueuerunt. Præter coronam capiti additam, altera manus Amalthcæ cornu, altera palmæ ramum gestabat. Palma victoriæ, Amaltheæ cornu felicitatis symbolum est. Quas ambas cùm FERDINANDVS in Belgium secum adduceret, mutata subitò rerum facies, & post graues metus ingens lætitia oborta est: neque aliter optatissimo eius aspectu exhilarata est Belgica, quàm post hibernas noctes purissimo verni Solis exortu terræ recreantur. Videres itaque in Virginis scuto hinc illum lucis auctorem, roseum ex vndis iubar efferentem nubesque ac tenebras radiorum fulgore dissipantem; inde aërem iucundissimo lumine perfusum; terris pulchritudinem, quam nox abstulerat, restitutam; occinentes inter nemora volucres; hiantes in hortis flores; pecora roscidis in pratis vescentia; omnia denique velut renata, & à pulcherrimi sideris aspectu nescio quid nouæ iucunditatis haurientia. Subscriptum erat:

Quàm exhilarata FERDINANDO recepto Belgica.

Virgil. 9. Æneid. NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO.


Præter Lætitiam, cuius quanta vis fuerit aliàs ostensum est, certissimam etiam secundorum deinceps euentuum Spem Flandri conceperunt.

III. SPES. Spei signum tertium erat suis quoque notis indiciisque discretum. Vestis ad terram fluebat, nisi quà extremam laciniam dextra manus sustentaret. Longitudo vestis spem in multas deinceps ætates extensam indicabat. Non enim breuis temporis felicitatem, sed in annos plurimos, quos FERDINANDVS viuendo meretur explere, duraturam, neque adhuc cum eius vitâ dimittendam, sed cum votis nostris adæquandam, tanta virtus promittit. Vtque cùm æstiui soles occidunt, non ingratiora subeunt diebus suis crepuscula; ita cùm maturum cælo FERDINANDVM hinc fata transtulerint, ereptâ eius præsentiâ iucundissimam memoriam superfuturam. Præter vestis formam situs corporis singularis erat. Summis pedum articulis simulacrum insistebat, non (vt quidam interpretabantur) quòd omnis spes re nondum adeptâ instabilis adhuc, & incerto quasi vestigio nixa est; neque quòd res maiores ferè apparent dum expetuntur, quàm dum posidentur; sed vt ex eo Spei sese erigentis habitu intelligerent cuncti, confirmato iam, qui collabi cœperat, patriæ statu, omnium quoque mentes erectas, & excitatas voluntates esse. Epigraphe clypeo de more inscripta:

Quam spem cõcepimus de FERDINANDO.

Ex 4. Æneid. BELGICA IAM QVANTIS TOLLET SE GLORIA REBVS!

Non aliter, scilicet, quàm aut herba quotidianis auctibus in segetem, aut frutex in arborem


DIS GENITI POTVERE
AVT DIS AVCTORIBVS ORSI
Expende Hanibalem
Ausi sunt vada salsa
citâ decurrere puppi
QVALIS BERECYNTHIA
MATER LÆTA DEV̄ PARTV
CETV COMPLEXA NEPOTES



rem assurgit. Quare hæc statuæ symbola addita. Herbam, qualis est graminis è terrâ primùm erumpentis, manu gestabat. Scutum exhibebat frutices in auras sese efferentes, de quibus & olim Horatius:

Crescit occulto velut arbor æuo *Lib. I.*
Fama Marcelli. — *Ode 12.*

Quarta Securitatis statua erat ex Gordiani Imperatoris monetâ desumpta. Hæc læto atque interrito vultu, quàm nihil metueret ostendens, alterâ manu columnæ innitebatur, alterâ clypeo. In eo iuuenis amæno loco reclinatus ad Zephyri inter arborum folia leniter susurrantis, & prætereuntis riui murmur placidissimè quiescebat. Additum erat illud Virgilij: *IV. SECVRITAS.*

TIMOR OMNIS ABESTO *II. Æneid.*

Quo loco venit mihi in mentem eius quod inter septemdecim, quæ Augusto imperium portenderunt, præsagia narrat Suetonius. Quintus Catulus, inquit, post dedicatum Capitolium duabus continuis noctibus somniauit, primâ Iouem opt. max. prætextatis compluribus circa aram ludentibus, vnum secreuisse, atque in eius sinum signum Reipublicæ, quod manu gestabat, reposuisse. At insequenti animaduertisse se in gremio Capitolini Iouis eumdem puerum, quem cùm detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei, tamquàm is ad tutelam Reip. educaretur. Ac die proximo obuium sibi Augustum factum, cùm incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset. Id prodigium seu verum, seu (vt erat superstitionum amans antiquitas) temerè arreptum, & Augusti auribus datum, toties iteratæ in nummis SECVRITATIS AVGVSTI, & sub Augusto SECVRITATIS IMPERII, causam insinuat. Quid enim aut illi in Dei opt. max. gremio, hoc est, certissimâ tutelâ posito; aut Imperio istius, quem Deus tueretur, curâ defenso deesse posset? Certè Augusti ætas *Securitas Augusti. Sueton. in Aug.*

Fruges & agris rettulit vberes, *Horat.*
Signa & Latino restituit Ioui, *l. 4. Od. 15*
Direpta Parthorum superbis
Postibus: & vacuum duellis
Ianum Quirini clausit;

Et alia quamplurima peperit bona, quæ cùm idem Poëta, tum alij Romanarum rerum scriptores non speciosiùs, quàm veriùs exequuntur. Vides quò tendam, Lector, non incerto somnio, sed ipsis rerum euentibus edoctus: vt scilicet conficiam FERDINANDVM quàm nostram curat, tam sollicitum de suâ salute Numen habere, atque adeò nos in illius, illum in Diuinâ tutelâ, constitutos; cùm bellare necesse est, de victoriâ, cùm optatissimum pacis tempus aduenerit, de vbertate ac rerum copiâ, deque perenni felicitate securos esse posse. *Cur Belgæ per FERDINANDVM securi.*

POSTERIOR PORTÆ TRIVMPHALIS FACIES.

Aspectus posterior Arcus, si ordinem ac dispositionem spectes, ab anteriore nihil discrepabat; si formam ac rationem operis, nonnulla erat diuersitas. Tabularum numerus, magnitudo, situs, eadem quæ priorum: argumentum aliud magis quàm diuersum, historiæ similes. Placuit tales adhibere, tum quia semper oblectat vicissitudo, grataque est vti colorum ita argumentorum in picturis varietas: tum verò quia omnis collatio, quam aptè institueris, magnam rebus illustrationem adfert: nec quemquam magis laudaueris, quàm si laudatissimis parem dicas. Feracissima exemplorum antiquitas est, quibus vt nostra componeremus, *Historiæ similes, eæq; antiquissimæ: quóque id consilio.*

mus, ſuaſit & illud, quòd rerum diu præteritarum vulgò maior eſt quàm recentiorum opinio. Vt enim fluuij, quò à fontibus longiùs procurrunt, auctiores voluuntur; ita rerum famæ æui ſucceſsio incrementum adfert; & veluti quæ regionibus diſtant, temporibus remota maiora creduntur. Accedit quòd à pluribus decantata plerumque notiora ſint, & præter lucem quam à ſe habent, magnam à ſcriptoribus claritatem acceperint. Fuit illa ſæculorum iſtorum felicitas, cùm non minùs ſcribere res geſtas, quàm gerere ſcribendas, glorioſum putaretur. Tutior denique eſt omnis cum veteribus comparatio; quia extra inuidiam, nec odio partium obnoxia. Quoniam verò vel abditioris ſcientiæ affectatione, vel oblectationis ſtudio, multa veteres fabulis inuoluerunt, ne ab iis quidem, vbi res fert, abſtinemus. Latet hiſce inuolucris multum ſinceræ eruditionis. Vtque ex vmbrâ figuram ſitumque corporis, ita ex fabuloſis Poëtarum commentis veritatem agnoſcimus.

I. ADVERSÆ PARTIS TABVLA.

Apud Maronem lib. 6. Anchiſes Æneam fata venturæ ſtirpis edocens, deque vrbe Româ Romuli auſpiciis condendâ ſermonem habens ita fatur:

En huius gnate auſpiciis illa inclyta Roma,
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque vna ſibi muro circumdabit arces;
Felix prole virûm: qualis Berecynthia Mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Roma & Cybele conferuntur.

Similitudinis cauſſæ parteſque hæ in promptu ſunt: prima, vti Dea Cybele, ita Dea & Roma,

Martial. lib. XII.

Terrarum Dea gentiumque Roma:

cui proinde & templum dicatum, diuinique honores habiti. Altera; Cybele Deorum mater, Læta Deûm partu: Roma autem, Felix prole virûm. E quibus plurimos Diuis adſcriptos fuiſſe nemo eſt tam antiquitatis rudis qui ignoret. quare Rutilius ad illam:

Exaudi genitrix hominum, genitrixque Deorum.

Ad hæc: Cybele inuehitur curru; curru inuehitur & Roma, vt elegantiſsimè Claudianus in Olibrij Paneg. Denique, Cybele turrita, nec turribus caret Roma,

Quæ ſeptem vna ſibi muro circumdedit arces.

Comparatio certè & diuino Maronis ingenio & Romanâ maieſtate digniſsima. Sed quis eam pari iure aliò transferre audeat? fuit enim Roma terrarum & mundi caput, & Princeps vrbium; cui

Martial. lib. XII.

Par eſſet nihil & nihil ſecundum.

Atque adeò quæ in illam laudes cadunt, alteri ex æquo conuenire haudquaquàm poſſunt.


Cybeles & Gandæ comparatio.

Sed nimirum ſi non æquales, certè non iniuſtæ fuêre cauſſæ, cur Poëtam imitati, noſtram quoque Gandam Matri Berecynthiæ conferremus. Et de eorum quidem quos partim aluit, partim genuit, Flandriæ Comitum imperio terris æquato; (fuere enim tam qui Orienti quàm qui Occidenti imperarunt;) tum de Gandauenſium ingentibus animis, iam dudum ante me ab auctore panegyris quadrimembris Flandriæ, cum Romanorum robore non temerè comparatis; denique de vrbis magnitudine, deque arcibus quas ſibi circumdedit, erit alius dicendi locus. Id vnum hîc ſumo quod tabulæ Cybelen curru ſuo inuehentem,



QVALIS BERECYNTHIA MATER LÆTA DEVM PARTV CENTVM COMPLEXA NEPOTES.

13.





AVSI SVNT VADA SALSA CITÂ DECVRRERE PVPPI. 14



hentem, biiugosque ad fræna leones agitantem, & plures cùm filios tum nepotes complectentem, referenti, subscriptum erat:

—QVALIS BERECYNTHIA MATER
LÆTA DEVM PARTV, CENTVM COMPLEXA NEPOTES.

Tabulæ I. inscriptio.

Qualis illa talis & Ganda. Illa LÆTA DEVM PARTV. Hæc, vt Poëtæ verba repetam, FELIX PROLE VIRVM.

Non hîc iam omnes, imò ne plures quidem enumerabo quibus se Gandauum iactare potest. Vnus pro omnibus, CAROLVS est. CAROLVS æui sui gloria, orbis deliciæ, terror hostium, suorũ amor. CAROLVS potentissimus, fortunatissimus, optimus Imperator; in quem plura quàm in vllum istius ætatis Principem regna quà hereditatis, quà armorum iure, virtutes indole atque institutione, victoriæ felicitate, honores populorum fauore conuenerunt. CAROLVM ergo ciuem suum eiusq; gloriosissimos atque inuictissimos nepotes, tum priores qui iam cum ipso cælum tenent; tum illos qui per eadem vestigia eò tendentes adhuc in orbe, cui necessarij sunt, inter mortales degunt, PHILIPPVM & FERDINANDVM, alterum Regem, alterum Ducem nostrum summo amore complexa Ganda, se felicem, se Romæ æmulam, se magnæ Matri similem arbitratur.

CAROLVS V. Gandani natus.

TABVLA II.

Inter magnorum virorum, quæ celebrauit antiquitas, suscepta mari itinera, Argonautarum in Colchidem nauigatio & prima & celeberrima est. Multis illa scriptorum ingeniis materiam dedit. Vtque Iliada & Æneida, ita Argonautica tractando sibi pariter atque illis immortalitatem pepererunt. Quare quos cum FERDINANDO mare subeunte committeremus hos potissimùm desumpsimus,

Cur Argonautæ cũ FERDINANDO collati.

Delectos iuuenes Argiuæ robora pubis,
Qui primi, vt Catullus canit,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppi.

De nuptiis Pelei & Thetidos.

Tantò maiori laude, quantò in rebus arduis præire difficilius est, quàm sequi, exemplum relinquere quàm imitari. Quod eò dico vt animum aduertat Lector non solùm nos vetustiora, verùm ea ferè argumenta secreuisse, quæ primos rerum à nobis illustrandarum auctores referrent. Sic Cybelen Gandæ opposuimus, quia vt Ouidius innuit,

— primas turres vrbibus illa dedit.

Lib. 4. Fast.

Sic in FERDINANDI nauigatione Argonauim adhibemus, quia &

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Catull. de nuptiis Pel. & Thet.

Sic mox Hannibalem, qui primus immani ausu perrupit Alpes, cum FERDINANDO per eadem Italiæ claustra copias educente comparabimus. Id spectantes, vt hæ picturæ non modò cum iis quibus aduersæ sunt, sed & inter se, quà licet, conueniant, vtque in tantâ argumentorum diuersitate aliqua inuentionis similitudo non ingrata peritioribus eluceat. Quod vbi generatim monuimus, ad mare & ad eius domitricem Argo reuertamur. Fuit hæc illa (in hominúmne exitium dicam an emolumentum?) diuino Palladis consilio fabricata nauis, quâ Iason Æsonis filius adlectis sibi Græcorum procerum nobilissimis fortissimisque, ad reportandum ex Colchide Phrixæum vellus nulli adhuc tentatum mare conscendit, vel Peliæ iussu, vt plerique, vel, vt Diodorus Siculus, suâ voluntate. Ardebat gloriæ

Argus descriptio & Iasonis.

ſtudio Regius iuuenis, & ad parandum nomini ſuo decus ipsâ periculorum magnitudine incitabatur. Proprium virtutis eſt, vt

Horat. lib.3. Ode 2.

— negatâ tentet iter viâ.

Proprium magnarum mentium & immortalitatem ſpectantium, vt quæ ceteri reformidant, ea ardentiùs depoſcant, laborumque magnitudinem non cauſſam dumtaxat, ſed & menſuram gloriæ credentes, tantam illam putent quanta fuerint per quæ parta ſit. Vnde fiat vt quemadmodùm res ceteræ cariores poſſeſſoribus ſunt quæ maiori pretio conſtiterunt, ita eam laudem pluris ducant, quæ maiori niſu parari debuerit. Sed non in aggrediendo generoſior quàm fortior in exequendo difficillimo opere Iaſon fuit. Quod viris fortibus maximè optabile eſt, adæquauit cum virtute fortunam: curſum in illo tam exiguo vitæ mortiſque diſcrimine proſperum tenuit. Draconem magnitudine immanem, feritate terribilem, vigilantiâ inacceſſum, ceteraque Colchidos monſtra, quà virtute ſuâ, quà Medeæ operâ ſuperauit. Strauit hoſtium in ſe armatorum alios pugnando, aſtu alios; cùm ex venenatorum dentium ſemine in vnius lucis æuum geniti, vt ſeipſi conficerent, ſimulque naſcerentur ſimul occiderent, effecit. Tandem ne quid ad votorum ſummam deeſſet, recepti velleris gloriam iteratæ nauigationis felicitate cumulauit. Nolo quæ dixi de FERDINANDO aut faſtidioſè repetere, aut quæ dicam intempeſtiuè præmittere. Ad rem præſentem ſatis eſt eum & fraternâ & ſuâ voluntate ad maximè arduam difficilemque expeditionem ex Hiſpaniâ cum lectiſsimis proceribus nauigaſſe, ingentia pericula interritum adiiſſe, contempſiſſe, ſuperaſſe. Monſtrorum rabiem (quid enim aliud rebellio, perfidia, tyrannis, hæreſis quàm teterrima monſtra ſunt?) coërcuiſſe in Germaniâ, hoſtes deleuiſſe pugnando ad Nordlingam, conſilio (quod in Iaſonis hiſtoriâ per Medeam, παρὰ τὸ μῆδος dictam, intelligunt Mythologi) vt ſeipſos conſumerent nuper in Belgio effeciſſe, omnia denique quæ hactenus intenderat animo fortiſsimè aggreſſum, feliciſsimè ad exitum perduxiſſe.

Cum FERDINANDO *ſimilitudo.*

III. TABVLA.

Hannibal in Italiam cum exercitu perrumpit.

Sequebatur Hannibal, quem dubites in inferendóne Italiæ bello an in perſequendo magis mireris. Certè non ſine quodam fortitudinis miraculo per altiſsima Alpium iuga, per immiſtas propè nubibus niues, per rapidiſsimos torrentium gurgites, ſaxa ipſa & fragmenta montium cum horribili fragore voluentes, per omnia denique viſu quàm dictu fœdiora cum exercitu maximo in Italiam velut in alterum quemdam terrarum orbem deſcendit, & antequàm cum hoſte congrederetur naturam vicit. Planè vt non immeritò fulmini aſsimiletur, quod Saguntino, vt Florus ait, incendio conflatum perrupit ſaxa & rupes, & ab illis fabuloſæ altitudinis niuibus velut cælo miſſum, in Italiam cum ingenti hominum vrbiumque pernicie penetrauit. Tabulæ ſubſcriptum erat illud Iuuenalis,

Expenditur eius iter.

Satyr. 10.

EXPENDE HANNIBALEM.

Expende, inquam, Lector, Hannibalem
quem non capit Africa Mauro
Perfuſa Oceano, Niloque admota tepenti.
Cuius ideò
Additur imperiis Hiſpania.
Mox
—Pyræneum
Tranſilit.—

Deinde



EXPENDE HANNIBALEM





ET TANTA GESSIT BELLA DVM BELLVM PARAT.

Deinde cùm

oppoſuit natura Alpemq́ue niuemq́ue,
Deducit ſcopulos & montem rumpit aceto.

Tandem parem initiis progreſſum faciens,

Tenet Italiam.

In eâ Carthaginis clades vlciſcitur, victoriam victoriâ cumulat, ex maximo imperio vix ſua Romanis mœnia relinquit.

— tamen vltra pergere tentat.

& hebetato ferè aſsiduis cædibus ferro,

Actum, inquit, nihil eſt niſi Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.

Iamq́ue vrbem vicerat, ſi occupare maturaſſet. Hæc omnia cùm in Hannibale expenderis, ad FERDINANDVM, per eaſdem illas, quaſi quodam naturæ ſtudio ad difficultatem horroremq́ue mortalium impoſitas Italiæ Alpes, ſimili virtute copias deducentem conuerſus, non minora ab illo extra Italiam expecta quàm ab altero in eâ fortitudinis palæſtrâ perpetrata ſunt. *FERDINANDVS idem illud cum exercitu ſuperauit.*

IV. TABVLA. Horat. lib. IV. Ode IX.

VIxere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq́ue longâ
Nocte.

Vnde videas primos Duces, quorum egregiam in armis virtutem excepit ac celebrauit poſteritas, eos eſſe qui Troiano bello, quo Europæ atque Aſiæ vires commiſſæ ſunt, interfuêre. Ex his Achillem ſelegimus, cui FERDINANDVM ad Nordlingam præliantem viamq́ue vi facientem æquaremus. Achillis virtus quemadmodùm præ ceteris eminuit, ita longè præſtantiſsimum præconem habuit Homerum: qui vel ad Alexandri Macedonis inuidiam Heroëm ſuum eâ gloriâ donauit, vt cùm nullius nomen illuſtrius ſit, dubites magíſne factis ſuis id ille an diuinis Poëtæ verſibus debeat. Sed nihil ad rem noſtram æquè facit quàm quod de eo Pyrrhus paternarum laudum acrior vindex quàm imitator, apud Senecam cum Agamemnone altercando iactat, *Achilles laudatur.* In Troade.

Ilium (inquit) vicit pater,
Vos diruiſtis.

At multas Troiæ vrbes, multos Hectori Duces præmiſit. Thebas, Chryſen, Lyrneſſon vi cepit, confodit manu ſuâ Telephum Myſiæ Regem, multas cum populis ſuis inſulas ſubiugauit: quibus magnificè enarratis ſubiungit Pyrrhus, Ibidem.

Hæc tanta clades gentium & tantus pauor,
Sparſæ tot vrbes turbinis vaſti modo,
Alterius eſſet gloria ac ſummum decus,
Iter eſt Achillis, ſic meus venit pater,
Et tanta geſsit bella dum bellum parat.

Quid de FERDINANDO vel ad veritatem expreſsius, vel ad laudem illuſtrius adferri poſſit? an aliter Achilles ad Troiam quàm ille in Belgium venit? vterque præcluſam ab hoſtibus viam pugnando aperuit: vterque non priùs bellare quàm triumphare cœpit: vterque *Cum FERDINANDO confertur.*

ad victorias vincendo venit, tantò aduersariis formidabilior quantò ob prægustatam gloriæ dulcedinem animis erectior. Sed quoniam quæ FERDINANDVS in itinere præclarissimè gessit iam pridem fusiùs enarrata sunt, ad postremam huius Arcus tabulam, quæ gratissimum eius ad Catholicos Principes aduentum per Euandri Æneam amicissimè excipientis beneuolentiam repræsentabat, stylum oculosque conuertamus.

V. TABVLA.

Virtus cultores suos vbique acceptos facit.

Omne solum forti patriam esse non eò dictum crediderim, quòd viri fortes omnem regionem pro patriâ habent, in quâ sit virtuti locus, neque tam spectare solent vbi vitam acceperint, quàm vbi eam cum gloriâ traducant: sed quòd illud vbique gentium fortitudinis præmium sit, vt qui eâ præditi veniant, nusquam ingrati, nusquam peregrini sint, sed quasi ciuitatem suam patriamque circumferant, vbique ciues, vbique amicos atque hospites reperiant: adeò nullus melior virtute commeatus est, nec vllum hospitium certius quàm quod illi fama præparauit. Id apud Homerum Vlysses, apud Virgilium Æneas, ambo non factis suis quàm erroribus illustriores, experti sunt. Et Æneæ quidem quid in Libyâ Dido, in Græciâ Helenus, in Siciliâ Rex Acœstes deesse passi sunt? vbi si matris industria, si coniunctio generis, si prior necessitudo, si ipsa per se calamitas quid contulerint, nihil tamen vnquam potentius adduxit, quàm cùm dixit:

Exemplo sunt Æneas

Lib. I. Æneid.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum, famâ super æthera notus.

In Italiâ verò fatis sibi debitâ tellure, ne de Latino dicam, quàm gratus Euandro Pallantique aduenit? quàm beneuolè exceptus, quàm liberaliter habitus, quàm amanter dimissus est? paratum non hospitium modò, sed & fœdus reperit: armorum auxilium pænè accepit priùs quàm flagitauit. Non aliter FERDINANDVM populi, ciuitates, Principes complexi sunt, nisi quòd ob eam caussam esset acceptior, quia auxilium non petiturus, sed laturus adueniret. In eo similiores videas, quòd & Æneam virtus præcipuè carum fecit, & in FERDINANDO cùm plurima concurrerent, nihil tamen amarint magis suspexerintque quàm FERDINANDVM. Accommodata erat ad picturæ sensum, nec minus ad votum nostrum inscriptio, ex eo Maronis loco vbi Pater Tiberinus futuri haud ignarus Phrygium hospitem salutat:

& FERDINANDVS.

Inscriptio tabulæ. Lib. VIII. Æneid.

HIC TIBI CERTA DOMVS, CERTI, NE ABSISTE, PENATES.

Nimirum cùm non ignoret Belgica quantum cum FERDINANDO felicitatis possideat, cumque de ipsius deque Regis erga se voluntate tam secura sit, quàm intelligit se sine illis saluam esse non posse, quídni certam hic domum, certos & stabiles penates FERDINANDO & esse optet & fore confidat? maximè cùm commissura numquàm sit vt eum aut aduentus pœnitere aut moræ pigere possit?

Veteres virtutē à Diis deriuabant.

Cùm intelligerent veteres cæleste planè donum virtutem esse, hominesque non tam naturæ quàm Deorum beneficio probos nasci, in eam nonnumquàm venêre sententiam, vt quos longè ante alios præstitisse, & humanis viribus maiora perfecisse cognoscerent, eos aut cælo delapsos & latentes sub mortali specie immortales Deos, aut certè homines Deorum semine oriundos affirmarent. Sic Herculem, Pollucem, Achillem Græci, Phryges Æneam, auctorem vrbis suæ Romani, alij alios non solùm morte obitâ ad Deos transiuisse, verùm & originem à Diis traxisse crediderunt. Nec aliâ de causâ Ioui Deorum summo

tantam



HIC TIBI CERTA DOMVS, CERTI, NE ABSISTE, PENATES.



tantam liberorum multitudinem adſcriptam fuiſſe credibile eſt, quàm quia, vt eſt apud Homerum,

Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε Iliad. *υ.*
Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν· ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων.

quia, inquam, ille omnium potentiſsimus virtutem viris auget & minuit prout vult. Pronum erat hominibus in Deorum cognitione cœcutientibus, in eam de viris illuſtribus opinionem induci, vt à quo virtutem eos ſuam adeptos ſcirent, etiam vitam atque huius lucis vſuram accepiſſe autumarent. Non infelici pro illis tenebris errore, niſi aliquando cùm Numina in homines beneficia facere voluerunt, etiam ſcelerata feciſſent. Rectiùs aliquanto (quamquàm & id præpoſterè) eorum quæ geri quæque euenire cernebant principia ad latentes quaſdam occultaſque cauſſas, & diuinæ prouidentiæ ordinem retulêre. Quid enim illa de Deorum circa humanarum rerum adminiſtrationem conciliis, contentionibus, ſtudiis vulgatiſsima commenta teſtantur aliud, quàm non dubitaſſe eos quin eſſet Numen aliquod, quod, vt Comicus ait, quæ nos gerimus, auditque & videt, à quo Plaut. capti. ſuſpenſa ſint omnia, cuius lege immobilis rerum humanarum feratur ordo, ſine cuius nutu Seneca II. quæſt. natur. ac voluntate nihil aut præclari agere, aut mali accipere valeamus? certè ea quæ proximè Liuius lib. XXV. memorauimus præſtare, non niſi aut

Dîs geniti potuere, & Dîs auctoribus orſi. *Inſcriptio communis tabulis & ſtatuis poſterioribus primi Arcus.*

Dîs geniti Achilles & Æneas: quorum alter Thetidem, alter Venerem matrem habuit.

Dîs auctoribus orſi

Argonautæ pridem, deinde Hannibal. Direxit illos Pallas, hunc Iuno concitauit. De Pallade ſic Catullus, Lib. *6.* Æneid.

Diua quibus retinens in ſummis turribus arces, De nupt. Pelei & Thetid.
Ipſa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.

Et ſanè cùm Argonautis ad adeunda pericula ingens animi magnitudo, ad fabricandam regendamque per incertos fluctus nauem ſumma ſapientia adeſſe debuerit, non abs re Palladem fortem ſimul & ſapientem Deam pro fortitudine expeditionis auctorem, pro ſapientiâ velificationis inuentricem ſtatuerunt. Iunonem verò creditam bellis Punicis quaſi Lib. I. Æneid. ſignum dediſſe & ex Marone conficitur, & apertiùs ex Silio qui Hannibalis in Italiam irru- Lib. I. ptionem pugnaſque quibus grauiſsimè concuſſum & pænè ſubrutum Romanum fuit Imperium, à Iunonis conſiliis & recrudeſcente in Æneadas odio exorditur. Iunonem ergo Hannibalis, Palladem Argonautarum fautricem, Thetidem Achillis, Venerem Æneæ matrem in ſupremâ operis coronâ conſtituimus, vt qui Heroas illos non niſi diuinâ virtute res tantas quantas narrauimus cognoſceret perfeciſſe, idem de FERDINANDO haud inferiora vel patrante vel promittente fateretur. Achillis mater Thetis gemmis conchiſque SIGNVM THETIDIS. æquoris ſui diuitiis ornata tenebat ſcutum (nam & ſcuta, vt vſquequaque conuenientia eſſet, Diuarum ſtatuis ſunt attributa) in quo puer fluuialibus lymphis, Achilles ſcilicet ſtygi immergebatur. Adſcriptum ex Ouidio,

CAPVT INSVPERABILE BELLO. Lib. XII. Metam.

Inſuperabilis vt eſſet, Stygiæ paludis ope Achilles indiguit: FERDINANDO, talis vt ſit, cælum dabit.

Veneris clypeum Æneæ frater Cupido ſuſtentabat, in eo gladius lauro implexus inter VENERIS.

V duas

duas ciconias visebatur: gladio fortitudinem, lauro victoriam, ciconiis pietatem signantibus. Epigraphe ex Virgilio,

Lib. 6. Æneid.

PARITER PIETATE VEL ARMIS.

His olim excelluit Æneas, modò FERDINANDVS.

PALLADIS,

Palladi Argonauis appenso ad malum aureo vellere cum hac inscriptione data,

Senec. in Medea.

PRIMA MERCES DIGNA CARINA.

Nunc vellus illud ad digniores, quàm quæ id olim ex Colchide retulerant manus, deuenit.

IVNONIS.

Iunonium scutum nascentem, vt à Virgilio describitur, Carthaginem, supraque illam currum à pauonibus protractum exhibebat. legebatur,

Lib. 1. Æneid.

ID REGNVM DEA GENTIBVS ESSE TENDITQVE FOVETQVE.

Sed nec æternùm iura gentibus dare Carthaginem, nec semper vincere Hannibalem fata siuerunt. illud, vt meritò confidimus, Hispaniæ, hoc FERDINANDO permittent: qui cùm Pœni Ducis gloriam triumphosque æmulatus fuerit, exitum dissimilem & virtutibus suis dignum nanciscetur.

FORVM CAROLINVM, eiusq; ornatus.

Arcum transgressos diffusum latè forum excipiebat. Longam in eo porticum ducere pegmatisque ac statuis exornare Senatui in animo erat. Per tempus non licuit. Sola hinc & hinc sedilia in suggestuum formam aliquot à terrâ cubitis eleuata, viam continuâ serie distinguebant. In illis selectæ longè infra nubilem ætatem virgunculæ candidas præferebant faces; genere omnes & formâ præstantes. Ornatum cuique excogitârat ambitiosa matrum, vt solet, nutricumque cura. Nec sua sedilibus elegantia deerat. Varia in illis emblemata, mysticæque notæ. Ipsæ puellæ virtutum, affectionum, artium, regionum, vrbium spirantia symbola. Id ornamentum celeberrimis plateis additum, hîc cum foro oculis subiicere placuit.

SCENOGRAPHIA FORI.

ARCVS CAROLINVS.

Pertinebant sedilium ordines ad proximum vsque Arcum: hunc augustissimum Gandenses esse voluerunt. Centum & viginti pedes altus supra domorum fastigia multum eminebat, grato vel extra mœnia spectaculo. Nec maior, quàm elegantior, fuit. sed operi per se splendidissimo verborum ornatum addere, perinde esset ac Soli, quod aiunt, lumen mutuum dare. Ob oculos posuisse laudasse erit.

ANTERIOR EIVS FACIES. CAROLVS V. *Gandaui natus;*

Argumentum tabularum id erat, quo neque gloriosius sibi Gandauum, neque FERDINANDO gratius dare posset. Diuum CAROLVM Imperatorem referebant, amabile Gandauensibus nomen: eo consilio, vt FERDINANDVS illustrissima proaui sui facinora contemplatus simul eius memoriâ oblectaretur, simul reuocaret in mentem, quæ eum patria genuisset: atque adeò, cuius se nepotem lætatur, eius natalem vrbem præcipuo beneuolentiæ affectu complecteretur. De amore enim maioribus nostris debito partem sibi patria vindicat. Si illos illustres accepisse pro beneficio habemus, in hanc quæ dedit grati simus necesse est. Et quamuis FERDINANDVM iis natura dotibus, Deus virtutibus cumulârit, vt ad summa peragenda ipse sibi sufficiens neque stimulis, neque exemplis egeat alienis; tamen si conspecta Miltiadis trophæa Themistoclem, Alexandri victoriæ Cæsarem ita quondam affecêre, vt alteri somnum, alteri lacrymas excusserint; quidni & illum sponte ad gloriam ardentem obiecta oculis auitarum laudum monimenta vehementiùs inflammarent? Et

FERDINANDO *in exemplum propositus,*


sanè



LAVDVM MONVMENTA TVARVM FERDINANDE VIDES.

18.




QVEM DAS FINE REX MAGNE LABORVM
DISCE NEPOS VIRTVTEM EX ME
Qui potuit tantum vincere maior erat.
AVSTRIACVM POPVLIS NOMEN FATALE REGENDIS.
Teneo te Africa.
His Belgica tuta sub alis.
Super et Garamantas et Indos. etc.




AVSTRIACVM POPVLIS NOMEN FATALE REGENDIS.





DISCE NEPOS VIRTVTEM EX ME.

20.



ſanè exemplorum ſumma vis: longè maxima tamen domeſticorum. Valet ad æmulationem virtutis communio ſanguinis; & faciliùs eorum veſtigiis inſiſtimus, ad quos imitandos ipſa nos natura ducit. Sed vt, quem factis ſibi præeuntem videbat, velut præſentem audire poſſet, magis conſpicua tabula vtrumque coniungebat. CAROLO pro Cæſareâ dignitate plus inerat maieſtatis: FERDINANDO pro ætate plus ſpiritus ac vigoris. Ille, velut præcepta virtutum traditurus, vultum ad grauitatem; hic, vt accepturus, ad alacritatem componebat. Quid autem bellis innutritus & facere plura, quàm dicere, aſſuetus Imperator vel ſe dignius, vel apud Nepotem potentius adferret, quàm exemplum ſuum? Sagittæ imbellibus lacertis emiſſæ ſimilis eſt adhortatio viri virtutibus, ad quas alterum ſtimulat, deſtituti. Nec illa deſtinatum ictui corpus, nec hæc audientis animum altè penetrat. Tum demum potenter impellit, cùm dicentis orationem factorum gloria commendat. Notum illud Philoſophi: Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Quare apud Virgilium Æneas Aſcanio ſtimulos ſubditurus non aliud monet, quàm vt in ſe coniiciat oculos, ſe ſpectet, ſua expendat facta, eorumque cogitatione mentem ad præclarè agendum conformet. Quæ eius ad filium, CAROLI ad Nepotem verba erant:

I. TABVLA. *eum hortatur ad ſui imitationē,* *Æneid. lib. 12.*

DISCE NEPOS VIRTVTEM EX ME.

Atque ſi diceret: Laudem potiùs, FERDINANDE, quàm hortationem indoles tua poſtulat: ſed quoniam eâ conditione natus es, vt tanta agere numquàm poſsis, quin maiora exſpectentur, macte animis eſto: & familiæ, in quâ genitus, & prouinciarum, quibus præfectus es, memor, ea age, quorum hæc à te decus exſpectat, illæ virtuti tuæ campum aperient. Tranquillo mari curſum tenere cuiuis facile eſt. Artem & peritiam gubernatoris tempeſtas arguit. Vectorum periculum laudis illi materiam præbet: Tibi Belgarum. Quos quamuis iis fluctibus agitari nolles; erit tamen glorioſius attuliſſe, quàm inueniſſe quietem. Tu poſt filium meum, auum tuum PHILIPPVM alter es, quem è progenie meâ Moderatorem vident. Quæ per illius abſentiam orta ſunt bella, te præſente deſinant oportet. Omnium vota conſumpta ſunt. Suprema in te ſpes eſt: cui quî reſpondeas, à me diſce. Quæ ego geſsi quemadmodùm mihi ad gloriam, tibi ad exemplum ſint: vt iiſdem rebus Auſtriaci nominis decus conſerues, quibus partum eſt.

ex Belgarum neceſſitate.

CAROLI Cæſaris res geſtæ, vt magnitudine incomparabiles, ita locis diſiunctiſsimæ fuêre. Quantum terrarum aliorum fama peruagata eſt, tantum ipſe non itineribus modò, verùm & victoriis peragrauit. Ex omnibus regnis prouinciiſque, quas vel naſcendi ſorte, vel armis acquiſiuit, vix vlla eſt, in quâ præter clementiſsimi Principis nomen, non etiam fortiſsimi Imperatoris laudem conſecutus ſit. Vnam Hiſpaniam ferè ſine bello poſſedit. Vt illa perpetuâ pace frueretur, quam ad cetera per orbem conficienda bella præcipuam Regi ſuo operam nauare quà pecuniis quà viris ſuppeditandis oportebat. Operum, quæ maximam mundi partem impleuerunt, imagines in aliquot palmorum anguſtias contraximus. Quoniam rerum magnitudine vincebamur, breuiarium dedimus. Ne & id confuſum indiſtinctumque foret, placuit per prouincias ire. Prima Germania eſt, Imperij ſedes. Hanc bellatricem, & non gentis quidem, ſed hæreſis vitio ſæpè Auſtriacis infeſtam regionem, quomodò ad officium quà armis, quà terrore nominis ſui CAROLVS reduxerit, ſic expreſſum erat. Inſidebat ſolio dignam tanto faſtigio maieſtatem & ore & habitu præ ſe ferens. Aſtabant hinc victi captiuique Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux, & Philippus Haſsiæ Landgrauius, præcipui & turbarum & exercituum duces; non eo quidem vultu, qui priorem

CAROLI encomium. *Hiſpaniā habuit pacatam.* *Germaniam ad officium reduxit:* *II. TABVLA.* *captis Saxone & Haſſo,*

contumaciam ſuperbiamque ſpiraret; ſed tamen alter, cuius corporis moli magnitudo ſpiritus reſpondebat, calamitatem poſſe ſe ferre, alter non magis viribus, quàm animo fractum ſe oſtendebat. Inde ad Imperatoris ſolium prouoluta Germania dextram, quâ priùs arma tulerat, ſuppliciter protendens, ciuitatum ſuarum præſides veniam magis ſperantes quàm meritos, habitu ad commiſerationem compoſito adducebat, rogabatque vt quemadmodùm alteri Cæſaris in prælio fortitudinem ſenſerant, ita hi clementiam in victoriâ experirentur. Quaſi non minùs Auſtriacum, quàm Romanum foret,

Ciuitatibus ſe ſubmittentibus.

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Caroli clementia.

Cæſar naturæ ſuæ, non alienæ perfidiæ memor, annuere ſupplici videbatur; maiori documento clementiæ, quàm fructu. Quippe, vt indomitum ac refractarium malum hæreſis eſt, non multò pòſt violatâ rurſum fide arma reſumpſerunt. Quæ ſectarij quaſi per manus accepta diſsimulatis interdum, numquàm depoſitis in Auſtriacos odiis, hactenus ſeruarunt quidem; ſed non tam inuictam illam gentem, quàm ſeipſos læſerunt, & magnâ ditionum ſuarum, quaſi membrorum, parte mutilarunt. Adeò verum,

Pro Auſtriacorũ imperio votum, an præſagium?

Auſtriacum populis nomen fatale regendis.

Quod cùm dicimus, non eam ineuitabilem rerum futurarum neceſsitatem inducimus, quam Tibullus olim cùm de vrbe Româ ſic vaticinantem Sibyllam facit:

Eleg. 5. lib. 2.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,

quamque homines iſtius æui plerique ipſis potentiorem Diis agnouêre. Neque fatum quidquam aliud, quàm iuſtiſsimum diuinæ prouidentiæ liberrimè omnia diſponentis ordinem interpretamur. Sed quemadmodùm ab hac auguſtiſsimâ Domo tot ſe gentes regi lætantur; ita fore vt æternùm regantur vel vouemus, vel præſagimus. Sanè ſi in Germaniâ (de quâ hîc potiſsimùm ſermo eſt) ſpectare libeat per tot iam annos nihil hoſtium furorem toties iteratis bellis, nihil machinationes æmulorum, nihil ſubditorum defectiones, nihil perfidiam, rebellionem, inſidias hæreticorum Domus huius ſtatum labefactaſſe; ſed, vt arbor vehementibus concuſſa ventis altiores firmioreſque radices agit, ita omnibus eam difficultatibus periculiſque conſolidatam ac roboratam fuiſſe; quis eſt qui neget decretam ei diuinitùs Imperij æternitatem videri? Certè dum illa Dei cauſſam non deſeret, ſuæ viciſsim Deum & defenſorem habebit & vindicem. Inuicta erit, dum bella Domini bellabit. Stabit inconcuſſa, dum pietatis fundamento nitetur. Si quam ſubinde cladem accipiat (nec enim vt fortiter ferre, ita euadere omnes virtuti caſus contingit, imò ne expedit quidem) ſi quam, inquam, cladem accipiat, id eò fit vt conſtet vtrique fortunæ parem eſſe; nec ſecundis nimiùm efferri, nec aduerſis frangi: in vtriſque Deum iuxtà venerari: de illis gratiam habere, in his fiduciam erigere. Nihil denique ita vel ſibi vel hoſtibus adſcribere, quod non magis Numini ferat acceptum.

Auſtriaci inuicti,

interdũ cladibus exercentur.

TABVLA III.

Caroli victoria ad Ticinũ.

Germanicas Caroli victorias ſequebatur ea quæ ad Ticinum de Franciſco Galliarum Rege parta eſt, par prioribus, ſi hoſtis fatum; illuſtrior, ſi dignitatem ſpectes; ſi prælij magnitudinem, Caroliqúe fortunam, eadem vtrobique: niſi quòd illic præſens, hîc abſens pugnauerit. Nimirum communicatur cum Ducibus Imperatorum fortuna: & exercitus cuius auſpiciis pugnat, eius felicitate vincit. Quamquàm ea non felicitas magis, quàm virtus Caroli fuit. Quid refert ſi ſignum pugnæ ipſe non dederit? Milites ſuos ita inſtruxerat, vt ad vincendum Imperatoris præſentiâ non indigerent. Alterius ductu, illius diſciplinâ pugna-

Pugnauit abſens.



QVI POTVIT TANTVM VINCERE MAIOR ERAT.

gnabant. Sine ipſo vicêre, ab ipſo habebant vt vincerent. Victoriæ vt immortalis fama, ita momentum maximum fuit. Per eam ſibi CAROLVS & Italiam aſſeruit, & in Italiâ Galliam vicit: certè fregit ac debilitauit. Si enim Rex inſtar animæ per magnum corpus diffuſæ regni ſui vigorem vitamque conſeruat, quid aliud Rege capto euenire Galliæ poterat, quàm quod corporibus linquente ſpiritu ſolet? Sed ſua Cæſar ſeruaſſe contentus fuit. Vt ſcires neceſsitate compulſum ad arma veniſſe: quæ poſtremus ſumpſerat, primus depoſuit. Iram non accendit victoria, ſed ſedauit. Intra moderationem lætitia fuit. Priuatas inimicitiæ cauſſas Chriſtiani nominis reuerentiæ poſthabuit. Nec ſuâ Franciſcus laude caruit. In prælio fortis, in clade conſtans: vbique Regem ſe geſsit. Bello victus animo fuit inuicto. Ab hoſtibus captus de fortunâ triumphauit. Vt omnia dicam, vincere merebatur, niſi contra CAROLVM pugnauiſſet. Quare non eum victum ac comprehenſum, ſed adhuc in acie verſantem, & glorioſo quidem, ſed inutili conatu expedire ſe conantem repræſentauimus. Quod enim de leone perhibent, tum demum ferociſsimum eſſe, cùm plagis implicitus, densíſve venatorum globis circumſeptus proximè periculum eſt: ita Franciſcus numquàm fortior fuit, quàm cùm ab hoſtibus cinctus nec vincere, nec elabi potens, nequidquàm fortis eſſet. Intendebat vires deſperatio omni nonnumquàm ſpe potentior. Cùm actum eſſet de victoriâ, de gloriâ dimicabat. Donec tandem, fatiſcente vulneribus equo, ipſe etiamnum indefeſſus & poſtremus ſuorum victus venit in hoſtium manus, nè tum quidem de maieſtate quidquam detrahente fortunâ. Contemplabatur hoc ex vicino colle Italia, videbaturque dubitare, victoríne magis CAROLO gratularetur, an victum Franciſcum doleret. At Neapolis atque Inſubria ingentem animi lætitiam vultu præferebant: vtque Imperatori de victoriâ, ita ſibi de victore applaudebant. Ex habitu eas dignoſceres. Italia terrarum quondam domina, Reginæ inſtar ſceptrum geſtabat: caput turribus ac muris coronabatur. Inſubriam binæ in manibus coronæ diſtinguebant; altera è ferro, qualem Cæſares gerunt: ex auro altera, qualem, quos hodie regionum Duces appellamus. Illam Romano Imperatori Mediolanum ſeruat: hanc Duci ſuo gerendam donat. Neapolis verſicolore & floridâ veſte, hilaritate vultus, quem circumdata capiti corona leuiter obumbrabat, toto denique corporis habitu terræ ſuæ delicias atque vbertatem oſtentabat. Ceterùm lenis erat & moderata epigraphe, quæ victo captiuoque Gallo nihil inſultans, de duorum fortiſimorum Imperatorum æmulatione ita ab euentu iudicabat:

Victoriæ momentum. *CAROLI moderatio.* *Laus Franciſci Regis.* *eiuſq. captiuitas.* *Neapolis & Inſubriæ plauſus.* *Tabulæ inſcriptio.*

QVI POTVIT TANTVM VINCERE, MAIOR ERAT.

Fuêre qui id iudicium à Regibus ad regna transferrent, quaſi eâ pugnâ non modò Franciſcus CAROLO, ſed & Auſtriæ Gallia palmam conceſsiſſet. Pro affectu ſuo ſenſuque quiſque iudicat. Nobis nec illis quidquam arrogare, nec his detrahere animus eſt. Vtriſque (ſi tamen vtrique ferre poſsint) pacem optare malumus, quàm de bellis bellorumque cauſsis diſceptare. Quamobrem &, quam nonnulli ex Virgilio ſuggerebant, epigraphen repudiauimus. Aiebant illi Franciſci fortunæ conuenire, ſi ipſe de ſe diceret:

Nil ſuper Imperio moueor: ſperauimus iſta
Dum fortuna fuit. Vincant, quos vincere par eſt.

Iam Europam, quanta erat, ſibi CAROLVS vel ſubiectam habebat, vel pacatam amicamque. In aliam mundi partem transferre arma placuit, & Chriſtianorum cæde imbuta barbarorum ſanguine expiare. Cum his numquàm non belli cauſſa: tum etiam neceſsitas erat. Aſsiduis ex Africâ claſsibus Italiæ littora infeſtabant, prædonum magis quàm mili-

CAROLVS bellum in Africam transfert.

tum more. Quin & nuper Barbaroſsâ duce Calabriam auſi inuadere maxima intulerant damna, maiora minabantur. CAROLVS tum demum libenter pugnaturus quando cum Dei hoſtibus res foret, claſſem armat, exercitum imponit, in Africam traiicit tot Romanorum Ducum triumphis nobilem. Exſcenſione feliciter factâ Golettam militibus operibuſque inſtructiſsimam vi capit. Mox ſecundum cum Barbaroſsâ prælium facit. Tandem Tuneto præcipuo piratarum prædarumque receptaculo in poteſtatem redacto, bellum more ſuo, hoc eſt, celerrimè conficit. Victor in Italiam regreditur, pulcherrimum triumphi ornamentum ducens aſſertos in libertatem Chriſtianos. Huius expeditionis ſimulacrum nonnihil ab aliis diſcrepabat. Non claſsis, non pugna, non victi captique hoſtes, non expugnata oppida pingebantur. Vnus CAROLVS Africam trementem pauentemque quaſi manu apprehenſurus impetebat. Africam mulier referebat pro regionis ingenio fuſca. Caput calanticæ loco proboſcis elephanti integebat. Prominebant inſtar cornuum beſtiæ dentes. Spicæ, quas manibus tenere ſolet, præ pauore exciderant: ſerpentes, quarum ob intemperatos calores feraciſsima eſt, volutabantur ad pedes. CAROLVS ſupra arma Cæſareis ornamentis induebatur: quaſi non eius tantùm robur, ſed & maieſtatem Barbari reueriti eſſent. Picturæ ſenſum huc quidam trahebant. Aiebant ſolum Imperatorem non milite, non copiis inſtructum exhiberi, propterea quòd in bellis, etſi non vnus Imperator vincat, vni tamen præcipua victoriæ laus tribui ſoleat: neque tam ſpectari quorum manibus, quàm cuius ductu atque imperio parta ſit. Alia res argumento cauſſam dederat, ex Iulij Cæſaris hiſtoriâ. Is belli ciuilis reliquias in Africâ perſecuturus, cùm in littus exſcendiſſet, ſeu ſponte ſe in terram demittens, ſeu fortuitò prolapſus, vt caſum in omen verteret, manu ſolum prehendit, &, Teneo te, inquit, Africa: quaſi iam tum non littoralem arenam, ſed totius regionis imperium in manibus haberet. Similem in modum CAROLVS Africæ victricem illam tot gentium manum iniiciebat: ſubſcriptumque erat illud ipſum:

Victoriam victoriæq. inſignia reportat.

TABVLA IV. eiuſq. argumentum.

CAROLI cum Cæſare comparatio.

TENEO TE AFRICA.

Fuit hîc qui obiiceret aliter longè CAROLVM, aliter Iulium Africam tenuiſſe. Ab hoc vniuerſam quà culta, quáque inculta eſt; ab illo exiguam, quæ Italiam reſpicit, partem ſubiugatam. Cogitet is velim non tam quid egerit (id enim etſi difficultate operis potiùs, quàm terrarum ſpatiis metiendum eſt: tamen quantumcumque fuit, vel ipſi CAROLO parum fuit) cogitet, inquam, non tam quid in Africâ pius hic bellator egerit, quàm quid agere inſtituerit; niſi quidam, quidquid ille Imperio adiiceret de ſuo detrahi cogitantes, à pulcherrimis hiſce & Catholico Rege digniſsimis curis, inuitum auocaſſent, domi ſemper vel inferentes, vel molientes bellum. Preceturque, vt aliquando compoſitis Europæ rebus, & ceſſantibus iis præliis, in quibus ne vincere quidem piis ſine aliquo dolore licet, eò conuertantur arma, vbi non iuſtum modò, ſed & miſericors bellum ſit: vbi hoſtibus ipſis profit vinci: vbi non ira, non æmulatio, non regnandi lubido, non auaritia effundendi Chriſtiani ſanguinis cauſſa ſit, ſed dignus tali pretio Dei honor.

Quid ex Africâ CAROLVM reuocauerit.

Duarum quæ reliquæ ſunt tabularum altera ad Belgium, vnde CAROLVS initium regendi fecit, altera ad Indias, quò latiſsimè imperij ſui limites protendit, pertinebat. Ambæ ceteris minores, etiam picturæ ratione differebant. Non viuis coloribus expreſſæ, ſed vno eodemque, qui metallo ſimilis erat, vbique inducto, magis ære fuſæ, quàm penicillo pictæ videbantur. Nec minor in inuentione diuerſitas, quàm in coloribus erat. Quod in aliis Imperatori, in his aquilæ tribuebatur non ingratâ varietate. Hinc auguſta volucris vacuo pendens

Inferiorum tabularum deſcriptio.



Teneo te Africa.



dens in aëre,ac ſeſe librando ſuſtinens alarum ſuarum vmbrâ Belgicam protegebat. Inde trans immenſoſq; Oceani tractus generoſo volatu fidens nubes, ad incognita nuper Indiarum regna Auſtriaci ius imperij proferebat; potens ſcilicet & quæ poſsidebat ſeruare, & noua per virtutem acquirere. Belgicam virgo modeſtè ſpecioſa referebat. In manu ligonem, in ſinu (erat enim ſedentis ſitu) acum nauticam geſtabat. Per illum cultura terræ, quam vbique vel habet, vel facit fertilem; per hanc nauigationis vſus ſignabatur. Neque enim magis tellus, quàm Oceanus Belgarum ſolertiæ patet: ſed vtriuſque elementi cultores ac propemodùm incolæ, hoc indefeſſo labore ſubigentes; illud, quaquauerſum diffunditur, ingenti auſu pariter atque arte enauigantes, magnum vbique ſibi quæſtum faciunt & nomen. Non tamen ligonem, quàm gladium; merces, quàm arma tractare meliùs didicerunt. Sed arma iacebant ad virginis pedes: quaſi iis quidem vti cum gloriâ poſſet, ſed tamen carere cum pace, & ſub pedibus habere, quàm in manibus mallet. Ita ſecuritatis plena, & pacis negotiis intenta, ſub expanſis aquilæ pennis conſidebat. erat enim

Belgica ſub Auſtriacorũ protectione,

HIS BELGICA TVTA SVB ALIS.

Sed prô dolor! ſortem illam beatiſsimam tota non agnouit, vel (vt in humanis fit) ferre non potuit. Ab hac ſe protectione magna pars ſubtraxit: quæ rerum ſecundarum, quaſi dulcium ciborum, pertæſa, cùm pacis bonis gaudere poſſet, maluit belli calamitates experiri, non alio fructu, niſi vt ſub ſpecioſo libertatis nomine grauiori ſeruitio premeretur. Benè tamen habet: iacta ſunt melioris ſpei fundamenta. Breuî vel reditura ad officium, vel reducenda eſt: reditura quidem, ſi benignitatem; reducenda, ſi potentiam Auſtriacam velit experiri.

à quâ pars ſe ſubduxit.

Vt olim Alexandro Macedoni vnus anguſtus erat orbis: ita neque CAROLI virtus potuit vnius terminis circumſcribi. Pari in vtroque animi magnitudine. Sed cuius in illo laudem inexplebilis cupiditas, ardorque dominandi non parum minuit, in hoc religionis ſtudium vehementer auxit. Huius, quàm imperij propagandi cupidior; cùm terris propè omnibus trophæa fixiſſet, incognita maiorum ſuorum exemplo ſcrutatus eſt maria. Inſtructas in Oceanum claſſes miſit. Nouum orbem, quà iam patebat, aſſeruit: quà adhuc erat inexploratus, patefecit. Præter eas Indiæ, quæ ad Occaſum eſt, regiones, quas poſt Bæticum bellum expulſaſque Maurorum reliquias Ferdinando & Iſabellæ Caſtellæ Regibus, velut in laborum tam piè ſuſceptorum ſumptuumq; mercedem, Deus aperuerat, CAROLI auſpiciis immenſa Mexicanorum ac Peruuianorum regnorum ſpatia præcipuum Hiſpanæ opulentiæ theſaurum ſuffectura inuenta, adita, occupata ſunt. Sic demum longè vltra fines Romanis aquilis notos Auſtriacæ penetrarunt. Rem pictor ſic expreſſerat. Sedebat India barbaro, vel potiùs nullo cultu; niſi quòd pro veſte, variarum volucrum plumis, nec adhuc tota tegeretur. Collum monilia, brachia armillæ innexis inuicem gemmis obibant. Vultum craſsiora labra, obtuſior naſus, grandiores oculorum orbes ab Europæâ facie diſtinguebant. Circumiacebant adeſa humani corporis oſſa crudelitatis argumentum. Manus de more arcu & ſagittis, ſed nihil in aquilam valituris, armabatur. Hæc tranatis longo tractu nubibus deſcendens timidam & ad ignotæ volucris aſpectum ſolo afflictam mulierem roſtro atque vnguibus impetebat; vel volenti, ſcilicet, imperatura; vel, ſi imperium detrectaret, repugnantem ſubactura. Subſcriptum erat:

CAROLO vnus Europæ orbis non ſufficiebat.

Occupauit Mexicam & Peruuiũ.

Indiæ ſimulacrũ.

SVPER ET GARAMANTAS ET INDOS
PROFERET IMPERIVM.

Protulit ſanè feliciter, proferetque ad extremos,ſi nondum eos attigit,mundi terminos. Ita diuinâ ſapientiâ, per quam Reges regnant, ſtatuente, vt quorum inprimis virtute atque opibus Chriſtiana res nititur, eorum imperio ſubiiciantur eæ regiones, in quas veritatis lucem omnibus retrò ſæculis vel incognitam, vel incuriâ ac longinquitate reſtinctam rurſus inferri, ac deinde non minori ſtudio neceſſe eſſet conſeruari.

Tranſitus portæ, in eo Tabulæ binæ. Quinque, quarum argumenta expoſuimus, tabulæ ex aduerſum intuentibus obiiciebantur. Præter has binæ, quantas portæ profunditas admittebat, fornici, quà arcuari incipit, confines in tranſitu ſpectabantur. Idem his quod ceteris argumentum, CAROLVS Imperator. Altera ſuſcipientem Imperij inſignia, altera deponentem, regniſque ſe pariter exuentem referebat. Dubium vtro in loco glorioſiorem: niſi quòd tot regna tenuiſſe, maioris felicitatis; ſponte dimiſiſſe, virtutis fuit. Illud commune cum pluribus, hoc propemodum abſque exemplo. Tantò difficilius eſt animo ſuo, quàm populis imperare: faſtidire regna, quàm poſſidere. *CAROLI à Pontifice coronatio.* Non parum tamen illuſtre fuit, CAROLVM, cui maxima virtutis decora & mereri ſemper, & habere contigit, auguſtiſsimam Romani Imperij coronam communibus populorum votis ſibi deſtinatam, ſeptemuirûm ſuffragiis delatam, propriâ virtute aſſertam de manu Pontificis Summi ſuſcepiſſe, & conceſsi ſibi diuinitus honoris inſignibus ab illo, qui in terris Dei vice fungitur, decoratum fulſiſſe. Perinde vt ſi per hunc diuinæ voluntatis interpretem ſignificaretur ad confirmandum ei Imperium, cum mortalium ſtudiis cæleſtium decreta conſentire. Bononiæ id contigit eo apparatuum ſplendore hominumque frequentiâ, vt vnam in vrbem multarum prouinciarum populos, opulentiamque conueniſſe diceres. Quis omnium ſenſus, quod deſiderium fuerit, epigraphe repræſentabat. Vt nimirum quæ CAROLVM mundo dedit,

Ouid. l. 3. Triſt. PERPETVO TERRIS IMPERET ILLA DOMVS.

Votum pro Auſtriacis, ſimul pro Eccleſiâ. Vt illa, inquam, tot prætereà Regum atque Imperatorum procreatrix, Superis chara, mortalibus veneranda Domus Auſtriaca Romanum Imperium tamdiu, quàm eius virtus merebitur, hoc eſt, æternùm moderetur. Magnum, ſed non ex Auſtriacorum honore magis, quàm è re Catholicâ votum. Vel ipſis ſacrorum hoſtibus crede. Quid ſuſcitata ab illis bella, quid conſpirationes, quid perpetuæ inimicitiæ teſtantur aliud; niſi cogitaſſe eos, ſi quidem Eccleſiæ ædificium deſtructum vellent, hanc priùs columnam euerti oportere? hâc labefactatâ, illud diu ſubſiſtere; hâc ſtante, cadere non poſſe? Quare quemadmodùm nemo eſt Eccleſiæ inimicus, quin idem Domui Auſtriacæ bellum indixerit. Ita æquum, certè optabile eſt, vt qui illius ſe amicos profitentur, in hanc quoque beneuolum animum gerant.

CAROLVS regnis & Imperio ſe exuit. Triginta ſex annos Imperio, paulò plures paternis regnis potitus CAROLVS, proſperaque vt plurimùm fortunâ vſus, nihil inpoſterum illi debere voluit. Quidquid viciſsitudini ſubiacere poterat partim in Fratrem, partim in Filium tranſtulit; in illum Imperij, in hunc regnorum poſſeſsionem. Ipſe deinceps ignotâ Regibus quiete fruiturus, & tot populorum curas in ſe vnum aliquando vtiliùs conuerſurus, magno illorum incommodo, niſi & Fratrem ſibi virtutibus germanum reliquiſſet, & Filius non tam paternarum ditionum, quàm virtutum hereditatem creuiſſet. De Filio nobis potiſsimùm ſermo eſt. *PHILIPPVS II. regna ſuſcipit.* In quo cùm pater ſapientiam agnoſceret, quam in ſe orbis probauiſſet; ætatem prætereà vt magis integram, ita ſuſtinendo oneri magis idoneam; velut quondam fulciendis cælorum orbibus Atlanti feſſo ſucceſsiſſe Herculem ferunt; ita ſibi ætate ac curis fracto pollentem iuuentâ ac virtute ſubſti-



PERPETVO TERRIS IMPERET ILLA DOMVS.


24





TV NVNC ERIS ALTER AB ILLO.

25.



ſubſtituit. Secus profectò ac plerique faciunt, qui dominandi amori omnia poſthabent: neque quid expediat, ſed quid liceat, cogitantes, malunt cupiditatibus inſeruire, quàm ſuæ ſuorumque ſaluti proſpicere. Nimirum poſt tot reportatas omni ex hoſte victorias id ſibi reſtare CAROLVS arbitrabatur, vt ſeipſum quoque vinceret, haud paulò maiori cùm magnanimitatis tum prudentiæ laude. Magnanimitatis quidem, dum quæ alij per ferrum & ignes petunt, ipſe contempſit; quæ vix patienter amittunt, vltrò depoſuit; oſtenditque, magis regna CAROLO, quàm CAROLVM regnis eguiſſe: prudentiæ verò, cùm, quod imminente fato neceſsitas futura erat, ipſe virtutem fecit; & Imperij ſui finem maluit eſſe voluntatis propoſitum, quàm naturæ defectum. Meliùs enim quæ tenere non poſſumus deponuntur, quàm extorquentur. Quod vel inuitis cum dolore faciendum eſt, facere cum laude prudentes occupant. Quamquàm non cupido laudis, cuius iam eum vel ſatietas ceperat, vel vanitas erudierat; ſed pietatis ſtudium ad id conſilij impulerit religioſum Principem. Cupiebat, poſt tot annos ſubditis datos, ſibi ſupremos impendere, & confecto cum gloriâ vitæ curſu æternitatis iter adornare. Volebat ex hac vitâ, cuius finis immortalitatis initiũ eſt, exire potiùs, quàm educi; & Iudicis iram, ſi quam meruerat, tẽpeſtiuè placando, iudicij ſeueritatem declinare: relicto Regibus exemplo vt recordentur poteſtatem non vltra mortem, ſi tamen vſque ad mortem, ſibi adfuturam: ſed ſiſtendos ſe ſupremo tribunali, tamquàm publicos quoſdam reos, tantò duriori conditione, quantò difficilius eſt de vniuerſis, quàm de vno ſe rationem reddere. Hoc CAROLI factum per ſe illuſtriſsimum, tamen & aliunde multum ſplendoris accepit. Rarò quiſquam tantâ pompâ regnum ſuſcepit, quantâ ille depoſuit. Non quia nouo ambitionis genere ex honorum abdicatione honorem ipſe captaret, & quemadmodùm quidam vitâ functuri ſplendidè ſe efferri iubent, ita ipſe magnificè regnis defungi & oſtentare ſeceſſum, quaſi voluntarias quaſdam viuentis Regis exequias vellet; ſed potiùs vt in illâ apparatus magnificentiâ oſtenderet quantis rebus carere poſſet; &, quoniam imitatores facti ſui habiturum ſe ſciebat vix vllos, teſtes haberet quamplurimos. Præter ipſum CAROLVM eiuſque Filium PHILIPPVM Angliæ Regem, præter immenſam Principum, Magnatum, Senatorum multitudinem, aderat MAXIMILIANVS Bohemiæ Rex, cumque illo Philibertus Emanuel Sabaudiæ Dux. Aderant Heleonora Galliæ, Maria Hungariæ vidua, alteraque Maria Bohemiæ Regina, & Chriſtierna Dani Regis filia Lotharingiæ Dux. His ad ignotum hactenus orbi Chriſtiano ſpectaculum animo ſuſpenſis CAROLVS, cùm res à ſe iam inde ab ætatis anno decimo & ſeptimo ad eum diem peractas, expeditiones, victorias, profectiones Dei ac ſubditorum cauſsâ ſuſceptas enarraſſet; corpus laboribus pridem feſſum, nunc morbis etiam ſenioque confectum, animum quietis ac ſanctioris otij cupidum docuiſſet; ſubditos ſuos obedientiâ ac fidei obligatione, ſe curis atque onere regnandi lætus abſoluit: numquàm magis Rex, quàm cùm noluit regnare; numquàm felicior, quàm cùm humanæ felicitati in tempore nuntium miſit, & incertorum regnorum diſpendio ad cælum ſibi aditum muniuit. Ius omne quod CAROLI fuerat, PHILIPPVS ſuſcepit. Qui non fato, vt ſolet, ſed beneficio paterno Rex factus, ita populos ſibi commiſſos complexus eſt, vt quotquot anteà ſub patris imperio vixerant, non tam pro CAROLO PHILIPPVM ſuſcepiſſe, quàm in PHILIPPO CAROLVM ſeruaſſe viderentur. Eò epigraphe ſpectabat;

CAROLVS curam in ſe conuertit.

Ingenti pompâ & concurſu regna deponit.

PHILIPPVS ſubit.

TV NVNC ERIS ALTER AB ILLO. *Virg. Ecl.5.*

alter non imperio magis, quàm moribus ac virtute. Nam & ille ſingularis in Auſtriacos Nu-

minis fauor eſt, vt quorum in manus tranſire ſceptra debeant, eorum quoque in animos maiorum genius quaſi commigret.

SVPREMA TABVLA ARCVS CAROLINI. CAROLI iam cælitis. Repræſentatis CAROLI rebus geſtis, quibus immortalem apud homines famam, apud Superos felicitatem conſecutus eſt, admonere res videbatur, vt adumbrata eius in terris gloria in cælis exhiberetur. Locus opportunus erat, arcus faſtigium ſpectabile, & non ſtructuræ magis quàm tabularum argumentis accommodatum. Quid enim aptius, quà maximè in cælum aſſurgebat opus, quàm CAROLVM cælitem proponeret? Non prout antiquitas Imperatores ſuos ſæpè vix hominum ſocietate dignos, tamen inter Diuos referebat, ac ſi titulis quos quis geſſerit, non moribus quibus vixerit, æternitatis conditio reſpondeat: ſed vt, quos actam religiosè vitam ſancto fine concluſiſſe cenſemus, ad beatam Diuorum ſedem tranſiiſſe confidimus. Sedebat ſublimis inter nubes CAROLVS, terras, quas olim rexerat, ex alto deſpiciens. Aſsidebat genitori non diſpar Filius PHILIPPVS II. huic ſua progenies PHILIPPVS III. ad quem nuper acceſſerat è Belgio eiuſdem ſanguinis ISABELLA, non indigna tantis heroibus coniungi femina. Quoniam verò certum eſt, æternæ felicitatis adeptione priores cælitibus curas non adimi, ſed augeri potiùs in res, quas iure caras habuerunt, amorem: ad hos amantiſsimos ſui Principes Belgica, prout erat, miſerabilis accidebat: *opem Belgica implorat.* doloremque ſuum quà lacrymis, quibus non parum ſanguinis admixtum erat, quà ſciſsis indignè veſtibus conteſtata opem, quam in terris præſtiterant, è cælo flagitabat. & quamquàm luctus non omnino miſeram deformârat, quin, vt decoræ nonnumquàm lacrymæ ſunt, aliquâ ſui parte pulchriorem reddiderat, tamen haud ignara quantum mutata eſſet:

Belgica, inquit, ſum, toti quidem orbi calamitatibus meis, ſed neſcio an vobis ex formâ nota. Adeò mihi multum de priſtino vigore detractum eſt. Quod reſtat vna auxilij veſtri ſpes ſuſtentat. Mihi quidem ipſi imputare debeo quòd miſera ſum, nec aliud me fatum premit, quàm quod vltrò acceſſunt ciues mei; ſed cur qui immunes à noxâ ſunt, non ſunt liberi à calamitate? Non iis regionibus continetur malum, vnde ortum habet. Vt ignis vni domui ſubditus ſerpente mox flammâ in alias ſe inſinuat; ita hoc bellorum incendium ab iis, quæ deſciuerunt, motum fideles etiam & innoxias prouincias inuadit. Malunt quidem illæ honeſtum bellum, quàm inhoneſtam cum hoſtibus pacem: nihilque ſibi glorioſius ducunt, quàm pro ſuâ in Deum & in vos fide pugnare. Norunt hoc ipſo ſe felices, quòd fideles ſint; nec aliud eſſe malorum tolerantiam, quàm virtutis experimentum. Sed quantò alacriores ad incommoda ferenda ſunt, tantò citiùs leuari par eſt. Per quæ fidelitatem probant ſuam, per ea auxilium merentur. Quem, ergo, aiebat ad CAROLVM (in quo enim plus haberet fiduciæ, quàm in eo quem ipſa genuerat atque educarat?)

Lib. 1. Æneid. QVEM DAS FINEM REX MAGNE LABORVM?


Exauditur. Non in vanum fuſæ preces. Commoti Herovm animi ſunt, accedente ad beneuolentiæ affectum commiſerationis ſenſu. Quid agerent? Belgicæ olim Principes, nunc patroni fiunt. PHILIPPO IV. ſupplicem commendant. Pro ſuo in hanc fauore, in illum fiduciâ, vt opituletur, monent. Gnari non alio opus eſſe auxilio, quàm tanti Regis voluntate.


Deſtinatur in Belgium FERDINANDVS. PHILIPPVS, qui vt cetera Maiorum habet, ita amore in ſubditos nihil concedit, Fratrem ſuum FERDINANDVM, hoc eſt alterum ſe, ad eius gubernationem deſtinabat. Nec detrectabat is laborioſam quidem, ſed plenam gloriæ prouinciam. Impoſitum à Fratre, commendatum à Maioribus, optatum à Belgis Imperium alacer ſuſcipiebat. Planè vt Belgica

pluſ-



QVEM DAS FINEM REX MAGNE LABORVM?


PARCE METV CYTHEREA
manent immota tuorum Fata tibi
FORTES CREANTVR FORTIBVS.
Insignis spolijs
Marcellus opimis
NOMEN DRVSO GERMANIA
FECIT.
O formosum
spectaculum.
DIVO CAROLO
AVSTRIACO.
HISP. BVRG.
BELGICO.
IMPERATORI.
SEMP. INVIC.
FERDINANDO
HISPA. INFAN
PHILIP. F.
PHIL. FRAT.
PHIL. NEP.
CAR. PRONEP.





FORTES CREANTVR FORTIBVS



pluſquàm optare, certè quàm rogare auderet, conſecuta, laborum ſuorum non leuamen tantùm, ſed finem ſperet.

Auerſam molis Carolinæ frontem ad faſtigium perduci tempus vetuit. Sed, quoniam ſtudioſiſsimæ voluntati nihil obeſſe debet, quod euitari non potuit, incommodum, hîc perfectam damus.

AVERSA FACIES ARCVS CAROLINI.

Tabulæ vt ſi ſtructuræ nihil deeſſet, ſuo ſitu erant, & velut in priori Arcu argumenti ſimilitudine anterioribus reſpondebant. Quæ CAROLO nepotem exemplis ſuis informanti aduerſa erat, habebat Martem Patrem prognatoſque ab eo Romanæ vrbis conditores. Mars, relicto quem agitare ſolet curru, bellatori equo inſidebat. In pugnam ruere diceres. Romulus & Remus formâ quâ notiſsimi ſunt, in Tyberis ripâ pendebant à lupæ vberibus, nec præſentis periculi, nec futuræ ſortis gnari. Hæc aliunde dignoſci poterat. Iam tum victoriam felicitate ac gloriâ comitatam in Italiam fata deſtinabant. Ferebatur ea niueis per aërem pennis, & locum vbi ſedem figeret indagans, neſcio quos montes ambire videbatur. Procul inde Ilia puerorum mater, quamuis auctore crimen redimeret, tamen neque populi conſpectum, neque patrui ſæuitiam ferens, ad Anienis vndas dolorem effundebat. Intereà matrem agebat lupa, cuius ne ducere vbera horrerent pueri, hauſta à genitore præſtabat indoles. Interriti erant, quia Marte ſati. Creuit deinde cum annis vigor, vnaque adoleuit. Cùm genus dubium eſſet, ex moribus agnitum eſt. Vt enim aurum vel in ſordibus aurum eſt, ita inter greges atque armenta Romulus & Remus Reges erant. Habitum fortuna, non naturam mutauerat.

I. TABVLA. *Argumentum tabulæ, Martis progenies Romulus & Remus.*

Generoſa in ortus ſemina exſurgunt ſuos.

Seneca in Troade.

Quòd ſi & interdum heroum filij noxæ ſint; vtque non omnes facie, ita neque ingenio progenitores referant: certè illo, ſi quod eſt, deficientis naturæ vitio CAROLI poſteros Deus abſoluit. In eo mortalium generi conſuluit, vt, cùm plurimi ab illis regi debeant, à bonis regantur. Quemadmodùm riuus, quem limpido ex fonte ortum lenique tractu labentem purum excipit ſolum, imperturbatus & origini ſimilis voluitur, ita transfuſa in nepotes proaui indoles durat incorrupta. Vt ambigas glorioſiúſne illis ſit CAROLVM progenitorem, an CAROLO tales poſteros habuiſſe. De quibus non minori iure, quàm de Mauortiâ ſobole, dixeris:

Comparantur cum CAROLO & Auſtriacis.

Fortes creantur fortibus.

Horat. lib. 4. Od. 4.

Sed non hîc curioſiora ſiſtebant ingenia. Vlteriùs ibant. Neque tantùm cum Marte CAROLVM, cum Romulo Remoque PHILIPPVM & FERDINANDVM, illos natiuitate, hos virtute geminos: ſed cum Romano nomine Auſtriacum conferebant, non magnificentiùs, quàm veriùs. Seu enim potentiam aſsiduis bellis inexhauſtam, ſeu fatalem hoſtibus virtutem, ſeu imperij amplitudinem, ſeu imperandi artem, ſeu facta, ſeu gloriam, ſeu maieſtatem ſpectes, qui propiùs ad illos terrarum dominos accedunt? accedunt inquam? eſt in quo ſuperent. Iuſtiores ſunt. Non, perinde vt illi, dominandi lubidinem cauſſam bellorum habent. Non maximam gloriam in maximo imperio ponentes, ex omni occaſione triumphum quærunt. Non, quemadmodùm de ſuis Cicero fateri non eſt veritus, ſociis defendendis terrarum potiti ſunt. Sed potentiam æquitate temperantes, vt virtutis ſuæ credunt hoſtem non timere, ita moderationis non prouocare. Bella non tam ſibi, quàm religioni gerunt: neque tam quid poſsint vincere, quàm quid tueri debeant, propoſitum habent. Ignoſcere, quàm vlciſci malunt: imperium beneficiis, quàm armis cuſtodire. Denique, vt

Romani cum Auſtriacis conferuntur.

Eryci Puteani in Hist. Insub. doctissimi atque acutissimi viri elogio finiam, cùm Romani multa pro ambitione magis, quàm pro ratione egerint; horum arma publicam spectant pacem, consilia salutem, potentia libertatem.

II. TABVLA.

Germania iam olim fortis Germania ab omni retrò memoriâ armorum studiis addictissima, iam olim varias, vt in bellis, vicissitudines passa est. Diu vicinarum Gentium victrix, tandem communi orbis fato Romanæ vel fortunæ, vel virtuti cessit: dubium cladibúsne suis, an virtutis experimentis nobilior. Certè omnium, quæ trans Alpes sunt, terrarum postrema peregrinum dominum agnouit. Cumque iam Roma, non Italiæ tantùm, sed totius mundi viribus pugnaret, vna hæc regio diu suffecit: multos exercitus fatigauit: quosdam ad internecionem deleuit. In *à Druso subigitur,* Druso tamen experta est, non omnia ferro geri. Disciplinam plus posse, quàm vires. Ab eo tot fermè clades accepit, quot gentes numerat. Tandem, quanta est, vel victa, vel domita & *similiferè modo quo post à CAROLO.* in prouinciæ formam redacta est. Druso CAROLVM comparare placuit, non modò ob virtutis similitudinem, sed ob victoriæ modum. Sic vterque vicit, vt quamuis gloriosissimè triumpharint, non minorem triumphorum materiam successoribus reliquerint. Erat iam *Lib. 1. cap. 18.* tum (quod de Romanis apud Florum Pyrrhus ait) instar anguis Lernæi Germania. A cladibus vires sumebat, & quasi si ex sanguine occisorum noui hostes renascerentur, quò plures cadebant, plures ad instaurandum bellum superesse videbantur. Drusum pictor hunc in modum efformauerat: per prostrata solo cadauera vrgebat cruentum equum, tam- *Fluuiis captis & vinctis fit illi supplex.* quàm necdum gloriæ sanguinisque satur, ad nouas victorias properaret. Accidebat illi Germania, vt priùs CAROLO, saltem in speciem supplex. Necessitatem iniecta fluuiis vincula testabantur. Regionum munimenta fluuij sunt. Iis interceptis, velut ciuitates occupatis fossis, hostium incursionibus patent. Quare præsidiis custodiisque potissimùm firmantur. Drusus certè per Albim, per Visurgim, per Danubij ac Rheni ripam amplius quinquaginta castella direxit, pontibusque ac classibus muniuit. Subscriptum tabulæ ex Ouidio:

Lib. 1. Fast. ET NOMEN DRVSO GERMANIA FECIT.

Sed & mortem. CAROLO solùm nomen. Plures illi prouincias fata destinabant, mortemque non inter hostes, sed in receptu, sanctoque recessu, feliciùs obeundam.

TABVLA III.

Gallorũ cum Romanis bella. Ne vnquam Romana virtus hebesceret, assiduos & velut domesticos hostes habuit Gallos insidentes Italiæ faucibus. Cum his velut in palæstrâ domitor terrarum populus se exercuit, & ad externa bella instructiorem reddidit. Mirum est tot cladibus gentem suffecisse. De nullâ frequentiùs triumphatum. Si quid ad tempus victrix possederit, quoniam cœptis constantia deerat, pari mox facilitate amisit: nec ad aliud vnquam vicisse visa est, quàm vt grauiùs cæderetur. Quàm leuiter suscipiebat, tam imprudenter administrabat bellum. Experimento deprehensum est, quòd sicut primus illi impetus maior quàm virorum, ita sequens minor quàm feminarum. Scio hîc de Gallis Alpium accolis, quorum corpora humenti cælo nata habeant quiddam simile niuibus suis, quæ mox, vt caluêre pugnâ, in sudo- *Comparatio victoriarũ CAROLI de Francisco, & Marcelli de Virdumaro.* rem eunt, & leui motu, velut Sole, laxantur: scio, inquam, de his Gallis, non de iis Liuium Florumque loqui, quos aliter Francos dicimus. Quoniam tamen & nomen vtrisque commune est, & posteà non dispar in Italiâ fatum; visum est confusis nominibus Ticinensem de Francisco victoriam cum eâ conferre, quam Claudius Marcellus de Virdumaro Gallorum Rege retulit. Vtraque in Insubriâ parta. Vtramque Regis maximè casus illustrem fecit.




NOMEN DRVSQ GERMANIA FECIT. 20.





INSIGNIS SPOLIIS MARCELLVS OPIMIS.





O FORMOSVM SPECTACVLVM.



PARCE METV CYTHEREA: MANENT IMMOTA TVORVM FATA TIBI.

cit. Qui pari consilio ex Alpibus descendentes, sociorumque ille Gesatorum, hic Heluetorum trahentes auxilia, cùm velut torrentes ex iisdem illis montibus deuoluti, magnã Italiæ partem copiis inundaturi, multasq; abrepturi vrbes viderentur, in ipso prouinciæ limine repressi victiq; sunt. Alter cum plurimis suorũ interfectus, alter in prælio captus, humanę fragilitatis & infortunatę fortitudinis exemplũ dedêre. Virdumarũ manu suâ Marcellus interemerat. Opima Ioui Feretrio deferentẽ spolia pinximus in eâ Arce, quæ quondã sola Gallicis flammis erepta, Romanæ pubis reliquias ad eam seruârat vltionẽ. Adscriptũ ex Virgilio:

INSIGNIS SPOLIIS MARCELLVS OPIMIS. Lib. 6. Æneid.

Post Drusum in Germaniâ, Marcellum in Italiâ CAROLO comparatos, quid in Africâ fieri deceret, vel suo nomine indicabat, IV. TABVLA. *Triumphus Scipionis Africani.*

cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit, Horat. lib. Ep. Ode 9.

diuinus Africanus, vir qui fortunam quasi dubitantem quò inclinaret, coëgit pro patriâ suâ stare; deciditque tandem cui populo terrarum imperium fata decreuissent. Dignum victoriis suis triumphum egit. Maiorem, certè lętiorem Roma non vidit. Is tabulę argumentum fuit. Additum pro epigraphe, quod Romanis captiuam trahi Carthaginem conspicientibus potiori iure dicere licuit, quàm priùs Hannibali fossam Romano sanguine redundantem intuenti:

O FORMOSVM SPECTACVLVM! Sen. Phil. lib. 2. de irâ, c. 5.

At quantum inter Tunetum & Carthaginem, inter Asdrubalem, Syphacem, Hannibalem & Barbarossam interfuit? non id moramur. Victores, non hostes comparamus. Scipionem cum CAROLO, non cum maximis Imperatoribus prædonũ ducem. Romano plus vincere licuit. Par in altero virtus, dispar persequẽdæ victoriæ opportunitas. Atque vtinam tantum Fabij CAROLO obstitissent! non tam illustrem mundi partem à Christi hereditate gememus auulsam. Sed erunt ex eius posteris, qui Dei caussam ducent suam, quique innato sibi religionis studio conficiant proprium & velut hereditariũ familiæ suæ cum impiis bellum. *eius cum CAROLO similitudo.*

Pari & hîc altitudine operis fastigium in cælum assurgebat, cui ornando desumptum ex Virgilio argumentum. Is, vti nos Belgicam CAROLO, ita Venerem Ioui supplicantem non semel inducit. Eximius lib. 1. locus est, ad quem picturam conformauimus. Conuenerant ad Iouis regiam conuocati Dij. Venus his vel testibus vel patronis vsura, vultu ad misericordiam composito, &, vt Poëta ait, *Venus pro Æneâ Ioui supplicat.*

Lacrymis oculos suffusa nitentes, Lib. 1. Æneid.

de Æneæ casibus, hoc est, de suis doloribus querebatur. Miscebat querelis preces, & ad genitoris pedes aduoluta ab eo, cuius esset, quæque agunt, quæque patiuntur mortales ex æquo moderari, addictam toties Troianis opem repetebat. Fauebant plerique supplicanti. Iouem filiæ dolor commouebat. Ergo leniter subridens, inquit: *Exauditur.*

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum Ibid.
Fata tibi.

Quæ premunt Æneam tuum, non sine Diuûm numine euenire vel ipse nouit. Tantùm se rebus futuris seruet. Breuî erit vt, quæ illum pati nolles, ipse tolerasse lætetur. Per labores ad gloriam itur. Sic ad cælum, quos hîc vides, peruenêre. Sic tu quoque feres

sublimem ad sidera cæli Ibidem.
Magnanimum Æneam.

Ita præsentia mala futurorum spe bonorũ solabatur. Simile solatij genus fuit, quo dimissam

Confertur cum Belgicâ. à CAROLO Belgicam diximus. Agitari illam bellis, vt lætiori pace efflorescat. Post asperas hiemes, blandiores plerumque æstates sequi. Quamdiu de stirpe suâ superessent, parceret metu. Impeti posse, perdi non posse. Concuti, non euerti. Vt in eius perniciem vicina regna conspirent, Hispaniæ opibus tutam fore. Vt noui insurgant hostes, noua auxilia non defutura. Quod instar omnium sit: & dubitare vltrà vetet, venturum illi auxilio Nepotem suum.

ARCVS CAROLINI DVPLEX DEDICATIO. Inferiorum tabularum locum duplex dedicatio occupabat. CAROLO altera; altera FERDINANDO inscripta.

DIVO CAROLO
AVSTRIACO. HISPANICO.
BVRGVNDICO. BELGICO.
IMPERATORI
SEMPER INVICTO. SEMPER AVGVSTO.
GERMANICO. ITALICO.
AFRICANO. INDICO.
REGI CATHOLICO
PIO. OPTIMO. POTENTISSIMO.
TERRAQVE MARIQVE
TOTO ORBE VICTORI
TRIVMPHATORI PERPETVO
RELIGIONIS PVBLICÆQVE QVIETIS ASSERTORI.
COMMVNI ORBIS CHRISTIANI BONO APVD GANDAVENSES NATO.
IN ANIMIS SVORVM IMMORTALI, IN POSTERIS REDIVIVO.
HOC POPVLARES SVI VIRTVTVM LAVDVMQVE MONVMENTVM
PERPETVVM ESSE VOLVERVNT.

FERDINANDO
HISPANIARVM INFANTI
PHILIP. F. PHIL. FRAT.
PHIL. NEP. CAROLI PRONEP.
BENE OMINATI ET ÆTERNI NOMINIS PRINCIPI.
OPTATISSIMO SVO IN VRBEM GANDAVENSEM ADVENTV
PROAVI QVASI NATALEM REDVCENTI.
VIRTVTVM EIVS SECTATORI. LABORVM ET GLORIÆ ÆMVLO.
HOC AVITORVM TRIVMPHORVM ET ANIMI SVI MONVMENTVM
LÆTISSIMI CIVES EREXERVNT.

Tro-


HOC
FERDINANDO
VICTORI
GANDA
TROPHÆVM.



PONTVS QVOQVE SERVIET ILLI.

Trophæorum, quàm Arcuum vetuſtior eſt vſus. Ea propitiis in pugnâ Dîs victores ſtatuebant. Sic Æneas, TROPHÆVM FERDINANDO GANDENSES ERIGVNT. Lib. xi. Æneid.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezentî Ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens.

Poſteà religionem ambitio inuertit. Ipſis Imperatoribus dicari inſcribique cœpta. Nec iam è truncis arborum, ſed è pretioſo lapide fieri: à loco pugnæ, ad vrbes transferri: ædificiis inſeri: poſtibus præfigi, cum ſuperbis titulis ad poſteritatem tranſitura. Hoc exemplo Gandauenſes FERDINANDO trophæum erexêre, illuſtriſsimæ victoriæ, quâ ſibi in Belgium, Germaniæ ad libertatem, iter aperuit, monumentum. Faſtigio Victoria inſiſtebat candido amictu, manuque laurum prætendens. Vtrimque ſe Fama in auras librabat. adſcriptum erat,

INSIGNIS FAMA ET FELICIBVS ARMIS. Lib. 7. Æneid.

Eam felicitatem hoſtium calamitas commendabat. Suecia, quam neſcio huiúſne auctorem vocem, an inſtrumentum belli, ad trophæi baſim alligata, fractis laceratiſque inſignibus ſuos ipſa conatus damnabat, agnoſcebatque vrſam ſuam definito ſibi Arctoæ plagæ termino prohibentibus fatis egreſſam. Hæreſis eam nequidquàm complexa, alia quibus defenderetur arma circumſpiciebat. Adſtabat Guſtauus Hornius & ſuo & patriæ caſu triſtis. Ad alteram partem duplici perſonata vultu perfidia, nihil dolis actum, nihil contra virtutem valuiſſe inſidias frendebat. proximum Cratſium deſertæ fidei pœnas exſpectare diceres. Dedicatio baſi grandioribus litteris inſcripta:

HOC FERDINANDO VICTORI GANDA TROPHÆVM.

Sed quoniam quidquid FERDINANDI ductu, id PHILIPPI auſpiciis geſtum eſt, vtriuſque ſigillatim inſignia appoſita ſunt. ex quorum aſpectu ſubibat, tantorum Fratrum, ſicut ad ſalutem ſubditorum conſpirant voluntates, ita coniunctam apud poſteros gloriam fore, recordaturoſque FERDINANDI, qui PHILIPPVM; PHILIPPI, qui FERDINANDVM celebrabunt.

His ſpectaculis oblectatus in foro Princeps, deflexit in plateam varij generis mercium tabernis ante alias nobilem. A monetariis nomen habet. Incolæ præter alia feſtiuitatis ſigna, perpetuo ductu ante domos protenderant triplicis coloris pannum candidi, rubri ac flaui. Candidus ac ruber in Auſtriacis inſignibus relucent. Flauo præter rubrum FERDINANDI famulitium inſignitur. *Deducitur Princeps in plateam monetariam.*

OCCVRRIT EI IN BALÆNA TRITON.

Platea in forum piſcarium deſinit. Quò antequàm perueniretur, ingentis molis operiſque balæna occurrit, oculis, rictu, motu vitam imitantibus. Oblectationi erat monſtrum in ſicco natans. Natantis enim in ſpeciem occulto artificio progrediebatur. Circumcirca Delphines exultabant, quibus parui Ariones vecti, Principi laudes, & in lætiſsimo aduentu gratulationem accinebant. Balænæ ſublimis inſidebat Triton, triumphale carmen cornu inſonans: quo ominabatur fore, vt tanti Principis auſpiciis hoſtis flumi- *In Delphinibus Ariones.*

num & maris obiectu hactenus, quàm suâ virtute, tutior, tandem aliquando debellatus Dominum suum supplex agnoscat recipiatque. Neque illepidè nostrum vulgus Batauum hostem piscibus comparat, qui in aquis validi & vehementes, in siccâ arenâ viribus subitò destituti torpent: ita & ipse aquarum præsidio ferox, quamdiu mari & fluminibus pugnat, inuictus putatur: minùs timendus quandocumque in puluerem & arenam prodit. Huc etiam spectabat sequens machina.

NEPTVNVS PHILIPPO CVRRV CEDIT.

Currus erat Neptuni, opere non vasto minùs quàm eleganti. quem summas Oceani vndas leuibus rotis perlabentem equi marini, prout à Poëtis describuntur, protrahebant. Neptunus non in eminenti currus sedili, sed depresſiore ad temonem loco consederat, perinde ac si digniori cederet locum: & verò cedebat PHILIPPO Hispaniarum Regi, quem vnum latisſimè Dominum agnoscit; cuius protensum ad extremas vsque insulas veneratur imperium: cuius, quaquauersum diffunditur, terras ambit: cuius potentiâ Orientem videt Occidenti coniunctum: cuius inuictis clasſibus omnia substernit maria, vt illarum operâ barbaris nationibus absconditus rectæ fidei thesaurus innotescat, barbarorum opibus Europa ditetur. De nostro potisſimùm mari hîc agebatur. De eo Neptunus,

INSCRIPTIO CVRRVS. Lib. I. Æneid.

HÆC REGI DICITE VESTRO;
NVNC ILLI IMPERIVM PELAGI SÆVVMQ. TRIDENTEM,
NEPTVNO CEDENTE, DARI.

In obsequij signum famulari velut manu aurigabatur, quò vehi consueuit, currum. Adesse Principem sensit, cui nec ob prudentiam, consilium; nec ob virtutem, asserendi maris potestas defutura est. Credidit fore, quod hactenus potuisse fieri, nec factum esse, hostes ipsi mirantur. *Hostium in mari fiducia.* Quid, inquiunt, terrâ oppugnamur, dum mare permittitur? non tantum inde adimi potest, quantum hinc accedit. è mari nata, maris præsidio tuta stabit Hollandorum respublica. Terrâ nos premere perinde est, ac fluuium velle non obstructis fontibus exhaurire. *Iactantia.* Superbæ voces, & quas aliquando Batauus dediscet. Superbum successus facit. Iactat, maris beneficio non maximam Belgij partem tot terrarum Regi hactenus non audaciùs, quàm feliciùs restitisse; & Hispani Imperij potentiam elusisse. Indiæ opibus (quis credat?) Indiæ opes opposuisse. Sexaginta & quot excurrit annos pugnatum, & adhuc se libertatem sperare. Terrâ munitiorem, mari potentiorem esse. Quò Regis classes præcedunt, eò suas submittere; quàm latè ille imperat, tam latè se vagari, & ex inexhausto illo Indicæ opulentiæ fonte non exiguam ad sese venam deriuare. *FERDINANDO debetur eius victoria.* Tibi FERDINANDE debetur ea gloria, vt hostem hac parte vincas, quâ maximè fuit inuictus. Virtutem tuam terrâ sensit, sentiat & mari. Fateatur nihil Tibi inaccessum, nihil præter Te inuictum. Vincere illum terrâ poteris: difficile subiugare, nisi spem, quam in ventis & aquâ non vanam habet, præscindas. Hanc aufer: & hostem, vtrique Indiæ grauem, debellasti.

LANIONVM PEGMA.

Foro piscario macellum confine est. Ante eius vestibulum priuato ære pegma statuerant Laniones. In eo tres tabulæ apposito gratulantibus argumento. Vt piscium propolæ in



Hic Rex [illegible] [illegible] Nunc [illegible] imperium [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] cedente [illegible]


TIBI
FERDINANDE
ΠΟΙΜΕΝΙ ΛΑΩΝ
in publica gratulatione hoc singulare lætitiæ
monumentum, Maioribus tuis semper fidi
semper cari Lann. posuere
Europe vt medias
Cornua vt Alcides facti de flumine tauri
Frangit, et hinc rerum copia plena venit
Sic faciet virtute suâ mox crescere nobis
Quas tibi Fernandus, Batave, frāget opes.
Hic virtutis honor

in piſcibus materiam gratulandi, ita hi in armentis, quò ſuum erga Principem ſtudium animumque teſtarentur, non infeliciter inuenêre. Præcipua tabula, quam mediam hinc & hinc ad latus duæ cingebant, repræſentabat Herculis cum Acheloo congreſſum, ſub tauri formâ vltimum certamen ineunte. Eum nequidquàm cornibus minacem victor Hercules in ſolum proſtrauerat, altero iam cornu truncum. Id Nymphæ ſublatum, pomiſque ac floribus, & omnium fructuum primitiis repletum, Copiæ conſecratum ibant. Exiguum victo ſolatium, qui

Herculis cum Acheloo congreſſus.

— rapidis flens cornua legit in vndis,
Truncaque limoſâ tempora merſit aquâ.

Ouid. Epiſt. 9. Heroid.

Speratæ per FERDINANDI victorias felicitatis imago hæc fuit. Batauum aquis potentem deſignabat Achelous. Hic arte viribuſque pugnandi ceteris metuendus, Herculi optandus erat aduerſarius. Vt enim victoris laudem hoſtis obſcuritas deprimit, ita nobilitas commendat. Sic Achillem Hector, ſic Æneam Turnus, dum vincuntur, immortalitate donarunt. Ante FERDINANDI aduentum, hoſtem Belgio formidabilem reprimere, victoria putabatur. Non de imperio, ſed de ſalute videbamur certare. Nunc ſibi etiam promittunt Belgæ, quod antè ſperare non audebant. Quamuis ſucceſsibus ferox, Batauus cum FERDINANDO congreſſurus eſt, hoc eſt, Achelous cum Hercule, è cuius fractis cornibus, faſtu, inquam, & viribus domitis, vt FERDINANDI gloria, ita lætiſsima rerum omnium vbertas effloreſcet. Sic Belgica vniuerſa ſeipſam qualis olim fuit tandem aſpiciet: ipſe qui eam nunc diſtrahit & conuellit hoſtis, victum ſe eſſe gaudebit; aut hoc vnum, ſi quid doliturus eſt, dolebit quòd felicitatem fortunamque ſuam tam pertinaciter oppugnauerit. Cædibus & vaſtitate exhauſtas prouincias noua ac felix populi frequentia reſtaurabit. Aucti olim ſanguine fluuij, iam ſecuris nauigantium votis omnium vtilitati voluptatique ſeruient. Agros quos armatæ toties acies, tunc ſegetes tantùm & fruges implebunt. Denique, vt à rebellante incendia, rapinæ, ſolitudo, vaſtitas; ita à debellato opulentia, ſecuritas, copia, vbertas, tamquam ex fracto Acheloi cornu, gratiſsimâ viciſsitudine manabunt. Id pauci verſus complectebantur picturæ ſubiecti:

Comparatur ei FERDINANDVS:

cum cornu-copiæ vbertas futura victo hoſte.

CORNVA VT ALCIDES FACTI DE FLVMINE TAVRI
FRANGIT, ET HINC RERVM COPIA PLENA VENIT:
SIC FACIET VIRTVTE SVA MOX CRESCERE NOBIS,
QVAS TIBI FERNANDVS BATAVE FRANGET OPES.

Inſcriptio tabulæ.

Ad huius tabulæ latus conſpiciebatur altera. Ea erat Iouis, tauri ſpecie ſe diſsimulantis & inſidentem tergo ſuo Europam per Oceanum ferentis: pauentem illam quidem & fluctuum monſtrorumque marinorum fremitu pallentem, eius tamen, à quo vehebatur, potentiâ tutam. Finguntur hæc de Ioue Europam ferente: de Te Belgicam ſeruante vera ſunt, FERDINANDE. Quid erat non ita pridem hâc miſerâ deſperatius, quæ in mediis bellorum fluctibus deprehenſa, ab iis, à quibus ſeruari debuerat, plus patiebatur, quàm ab hoſte? præſidia iam illi verſa erant in perniciem, eò certiorem, quò grauiùs nocet perfidus propugnator, quàm apertus hoſtis. Quid faceret contra pertinacem armorum procellam, ſuis ipſa præſidiis non deſtituta tantùm, ſed & oppugnata? Peribat infelix, niſi ſubueniſſes. Tu velut cælo miſſus, perditiſsimis rebus opem tuliſti. Tu miſerrimè conuulſam iamque fatiſcentem, ne obrueretur, ſuſtinuiſti. Diſcuſsiſti nebulas, pacaſti fluctus, procellas eò, vnde ortæ erant,

Iupiter vehens Europã fabula:

FERDINANDVS Belgicã ſeruaturus, ipſa veritas.

Belgica penè naufraganti opitulatur.

 conuer-

conuertiſti. Quæ antè, non dico timebat, ſed in dies exſpectabat naufragium, Te recepto ridet Oceani minas. Excitet nouas, qui volet, tempeſtates. Dum in Te nititur,

Ouid.l.3. Amor. el.10. Læta tumeſcentes æquoris audit aquas.

Cælum terramque miſceant coniurati hoſtes,

Tabulæ inſcriptio. EVROPÆ VT MEDIAS IOVE TVTA FERENTE PER VNDAS,
SIC FERDINANDO BELGICA TVTA SVO EST.

Iactatur adhuc, ſed modica tempeſtas magis iuuat, quàm terret. Priùs quàm portum attigerint, non nullos nautæ, modò non aduerſos, ventos optant.

Arietis Phryxei vellus Burgundo-Auſtriacorum teſſera. Tertia ex aduerſo tabula ſimilis argumenti erat. Phryxus arieti inſidens Helleſpontum tranabat. Exhibebatur in origine ſuâ celeberrima illa Domus Burgundo-Auſtriacæ teſſera, præcipuæ nobilitatis præcipuum decus, aureum Vellus. Quod in hanc Domum tranſlatum, plus æſtimationis accepit, quàm attulit. Fabuloſæ olim, nunc veræ virtutis præmium atque ornamentum. Subſcriptum:

Dedicatio machinæ Lanionũ. HIC VIRTVTIS HONOR.

Pegmatis dedicatio infra Principis effigiem ea legebatur:

TIBI
FERDINANDE
ΠΟΙΜΕΝΙ ΛΑΩΝ
IN PVBLICA GRATVLATIONE
HOC SINGVLARE LÆTITIÆ MONVMENTVM
MAIORIBVS TVIS
SEMPER FIDI, SEMPER CARI
LANN. POSVERE.

Faſtigij tympanis hinc Apollo paſtoritio habitu, qualis Admeti boues pauit: inde eius ſoror venatricis formâ incumbebant. Apollinem habito ad armenta ſua reſpectu, Dianam pro iure venandi, quo à Principibus ampliſsimo donati ſunt, operis munerarij elegerant.

E ponte amœniſſimus proſpectus. Macellum Scaldis & Legia mixtis in vnum alueum aquis præterlabuntur. Fluuios varij è lapide pontes iungunt. E proximo lanionum machinæ contermino, bini vtrimque amæniſsimo proſpectu oculos oblectant. Hinc margines excipiendis mercibus æqualiter ſtrati, hinc magnificæ ex aquis ædes exſurgunt. Naues, vt plurimum, flumen tegunt. Tum ſolito plures erant, & ipſæ feſtiuiore apparatu lætitiæ ſigna præferentes. Duæ inter ceteras eminebant bellicâ formâ ad pompam magis, quàm vſum. Alteram nautæ, quos liberos vocant;

Nautarum gratulationes: alteram, qui pari immunitate non gaudent, adornarant. Liberi eximio Principum fauore multa quoad nauigationem & tranſuehendas merces indulta conſecuti, ceteros ſeu aduenas ſeu ciues à iuris ſui participatione excludunt: ſolis id poſteris opimæ inſtar hereditatis relinquunt. Hanc gratiam pluribus Gandauenſium opificum collegiis olim conceſſam:

hodie



His auspicijs vincula rerum Mare laxauit, nec iam terris Vltima Thule est.



O nauis referent in mare te noui Fluctus: at nihil est sub moderamine Tanti quod metuas auris. 32.


BELLO OPIBVS STVDIIS
SIC DIVOLVERE VIGEBIS
Quam Cæsar
condidit olim etc.

Naues triumphales.

hodie ſoli cum piſcium propolis ac laniis nautæ ſeruant. Ab his eximiæ pro loco magnitudinis nauis artificioſe conſtructa, gratum diu noctuque ſpectaculum continuabat. Per diem ornatu ſuo, per noctem feſtis ignibus illuſtris. Prora, puppis, & tota pænè latera picturis auroque radiabant. Accedebant non inuenuſtæ ſtatuæ & aptæ linguâ vernaculâ epigraphæ. Multa ex ſerico ſuppara, apluſtria, vexilla per aërem fluitabant. Supremo malo armis nauticoque inſtrumento ornatiſsimum ſimulacrum cymbæ magnitudine cæleſtem Argo referebat. Suam ex alterâ pontis parte nauim reliqui nautæ habebant nihilo ſegniùs elaboratam inſtructamque. Æmulatio animos accenderat. vtrimque continuo tormentorum fragore, tubarum cantu, epibatarum clamoribus cælum perſonabat. Claſſem pugnæ paratam innare fluuio diceres. Eò gratiori ſpectaculo, quòd ſolas actuarias alueus vehat, ponteſque tranſmittant. Quamobrem has bellicas officio perfunctas eodem quo ædificatæ loco ſolui oportuit, futuras in imaginibus ſuperſtites.

Flandriæ Comitũ caſtellum.

Inde curia concilij Flandriæ apparebat, quam modò vetus-Burgum, modò Comitum caſtrum vulgus appellat. Fama eſt Iulium Cæſarem, dum in Gordunis ageret, Arci initium dediſſe. Fidem facit exeſorum æuo atque imbri, lapidum vetuſtas. Propter ingreſſum auguſtum, pegma, quod totam in latum plateam occuparet, Veteris-Burgi (ita territorium nominant) Senatus deſignari curarat.

PEGMA VETERIS BVRGI.

Gandenſium fides & amor erga Regẽ.

Binæ in eo tabulæ eminebant. Hoc prioris argumentum. Ex Arce prodibant Fides & in Regem Amor. Fidem annulus & inſidens brachio catellus inſignibant, nota fidelitatis ſymbola. Amor galeatus ſcutum cum gladio geſtabat. In ſcuto examen apum ſuum circumuolitabat Regem: de quarum in Reges ſuos cultu ac veneratione ſic Maro,

Apum erga Regem ſuũ fides. Lib. 4. Georg.

Regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes
Obſeruant, Rege incolumi mens omnibus vna.
Ille operum cuſtos, illum admirantur & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes.
Et ſæpè attollunt humeris, & corpora letho
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

O naturæ prodigium! notaſſe ſatis ſit. Ad tabulam redeamus. Fides ergo Amorque ex arce progrediebantur, & adequitanti FERDINANDO obuiam ibant. Fulgebat is in armis conſpicuus, ſed numquàm magis quàm ſic amabilis. Accedentem venerabantur; arcem vt ſubiret, tum corporis flexu, tum his maximè verbis inuitabant:

Inſcriptio tabulæ.

QVAM CÆSAR CONDIDIT OLIM,
HANC TIBI NOS GENERIQ. TVO SERVAVIMVS ARCEM.

Perinde ac ſi dicerent: Inter tot patriæ vrbiſque huius recentia, & adhuc oculis oberrantia diſcrimina, quorum obliuiſci redditæ à Te ſecuritatis dulcedo numquam ſinet, hanc arcem Tibi tuiſque nos Fides & Amor ſeruauimus. Sed ea non tam gloria noſtra eſt, quàm veſtra. A vobis priùs in hac arce ſeruabamur, & (quibus ars nulla eſt tutior) in ciuium pectoribus. Non clypei, non enſes, non muri; ſed benignitas & pietas veſtra inexpugnabiles nos fecit. Obſequia beneficiis prouocaſtis. Quod vobis debent ſubditi præſtant. Vos plura illis, quàm debetis. Non Dominos vos, Patres experiuntur. Seu pacem, ſeu bella agitatis, eorum rationem primam ducitis. Illorum ſalutem ac felicitatem, gloriam veſtram creditis. Sic regitis vt imperium pro beneficio, potentiam pro pręſidio, mores pro exemplo habeant.

Regis amor erga ſuos.

In Caio Imp.

Origo Gandauensium obscura.

Iuuat, ait Aurelius Victor, de Principibus nosse omnia. Non ineptiùs fortè dixeris: Iuuat Principes, quæ subditorum sunt, nosse omnia. Certè Gandauenses, vt vrbem suam non modò videret, sed & penitus perspectam haberet FERDINANDVS, eius originem, incrementa, incrementorum caussas, gloriam pulcherrimis ex factis quæsitam, quantum imaginis ratio patitur, proponere non ambitiosum magis quàm decens credidêre. Opportunitatem dabat veteris-Burgi arx, reliquarum quas Gandauum habet si non prima, certè primis proxima: si famæ credimus, Iulij opus. Iulium, dum Gallorum fortissimos Belgas armis edomaret, plures Gandaui, seu quodcumque tum loco nomen fuit, arces erexisse, extra controuersiam est. Non tamen, etsi Gandauum Iulio conditore superbum vocet Petrarcha, ab eo conditam, sed amplificatam celebratamque vrbem suam Gandauenses credunt. Origo obscura est. Ob id nobilior. Non est pulchrius vetustatis monumentum, quàm si rerum principia incertâ famâ cognita rationem temporum fugiant; deque suo ortu, quemadmodùm fluuij quàm longissimè procurrentes de suis fontibus, dubios inuestigatores relinquant. Nos ad hanc arcem, quam & hodie veterem Gandam dicunt, primordia vrbis retulimus.

Epist. ad Cardinalem Columnam.

Tabula veteris Burgi eam ad Iul. Cæs. refert.

Sedebat in arcis vertice Iulius Cæsar, hinc Victoriâ, hinc Virtute latera cingentibus. Iulium militare paludamentum sceptrumque veterum Imperatorum ritu decorabat: laurea caput ambibat. Virtus galeata in thorace ferreo, dextro lacerto nuda oleam præferebat manu. Victoriæ trophæum in sinistrâ datum. dextrâ orbem ceu debellatum Cæsari gratulabunda porrigebat. Supernè Iulium sidus aureis illustre radiis promicabat. arcis fronti indita epigraphe, C. IVL. CÆS. Ante vestibulum sedebat Ganda virgineâ specie & cultu, tenera adhuc, vt quæ nondum adoleuerat, sed iam tum formosa. Ad eam certatim de cælo Dij sua deferebant munera. Mars armatus, & casside ad frontem adductâ toruus leonem adducebat.


Dini Gandam adhuc teneram muneribus suis ornant.

Gandauensium fortitudo bellica.

Est hic ille Leo, quem etiamnum vrbs hæc alit, vestræ, Ciues, fortitudinis ac magnanimitatis index. Quamuis enim non vestras à me, sed FERDINANDI laudes celebrari vultis; tamen quia & Principibus voluptati sunt quæ præclarè sui egerunt, non possum quin eas leuiter & velut transeundo delibem. Est hic ergo vestræ fortitudinis symbolum leo, quâ eas quondam res gessistis, quæ (vt prudentissimi grauissimique & minimè vobis obnoxij scriptoris verbis vtar) si ab æquo iudice censeantur, cum quibusuis veterum sunt conferendæ. Quâ hactenus seu intulistis seu propulistis bella, durastis inuicti: [a] quâ vniuersam vobis Flandriam, cùm arma vestra prouocasset, subiecistis; sæpiùs, quod malebatis, defendistis: [b] cecidistis potentissimos exercitus, [c] munitissimas vrbes expugnastis: modò [d] triginta hostium millia longè minori fudistis manu: modò alias inimicis clades dedistis. Quid? in memorabili illâ ad Cortracum pugnâ, Galliæ, (seu vt illi scribunt) [e] mundi florem vester potissimùm miles contriuit. Aliàs cùm Flandriam multoque magis finitimas prouincias, Hannoniam atque Artesiam armis infestam iidem haberent Galli; vos [f] neque aliorum malis, neque hostium minis territi, communem caussam priuatis armis sustinuistis: fuitq; quòd ab vnâ ciuitate regnum timeret. Qui totis modò domandis, modò defendendis prouinciis suffecistis, quid mirum, si vrbem vestram semper præstiteritis inuictam? quò tamen proximè ad Romanam laudem acceditis, non præteribo. Anno post millesimum trecentesimum septuagesimo nono sexaginta hominum millia premebant obsidione Gandauum. [g] Vineis, vallis, machinis, tormentis, impressionibus extrema tentabant, non spe minori, quàm conatu. Liceat hîc mihi cum Floro exclamare, O horribilem fiduciam! ô singularem animum ac spiritum populi Gandensis! cùm in iugulo hostem habe-

Iusti Lipsi.

[a] Duce Philippo Arteueldio.
[b] Variis bellis.
[c] Brugas, Aldenardam, Damum, &c.
[d] Beuerhouti in agro Brugensi sub Maleano.
[e] Antoninus Episcop. Florent. & annales Gallici.
[f] Sub Ludouico Niuernensi & Maleano.
[g] Sub Maleano.



FERDINANDO HISPANIARVM INFANTI MAIORVM SVORVM LVCEM BELGIO REFERENTI. 40

haberet, ausus est ad diuersa respicere. De suâ vrbe sollicitus, emisit in viciniam arma, nec segniùs foris quàm domi rem gesit. Simul suam defendit, simul duas hostium ciuitates *oppugnauit. Quis post hæc aggredi vrbem vi auderet? Fuit cùm eam viginti quatuor Anglorum millia, non vt hostes, sed vt amici tenerent. Ad hiberna admisi erant. Pactis intereà cum Gallo induciis, cùm sibi discedendum viderent, ne frustrà venissent, vrbem incendio prædæque destinant, ex sociis prædones facti. Iam regiones vrbis diuiserant, plateas descripserant, domos designarant: iam faces quatuor locis admotæ erant: iam ad cædem rapinamque discurrebatur. Exarsit eo incendio ciuium animus. Arma corripiunt. Alius alium hortantur. Sibi quisque dux fit. Erumpunt domibus, proditores inuadunt, vrbe expellunt, persequuntur, cædunt. Donec tandem inclamante, qui aderat, Comite vt parcerent ferro, maluerunt eius voluntati precibusque, quàm iustissimo suo furori indulgere. Nimirum, tot milites Gandauum habebat, quot ciues. Et qui ad bellum exirent, quot arma gestare poterant. Non pauciores octoginta millibus numerabantur. Fusiùs hæc dicta sunt, quàm voluêre Gandauenses, non quàm meruêre. Sed ne omnino tacerem, Mauors ad hanc vrbem velut ad proprium domicilium veniens admonebat. Martem Pallas comitabatur: vtq; ille Leonem, ita ipsa volumen lauro oleâque inuicem implexis cinctum, superinsidente suâ volucri, velut in doctrinæ sapientiæq; tesseram dabat. Non magis belli, quàm litterarum studiis Gandauum floruit. Doctissimos omni æuo viros tulit. De his famā consuli malo. Alieno certè encomio non indigent, qui suis se scriptis commendant. Post Martem Palla-demque sua dona non tam offerebat, quàm ostendebat Mercurius. Designabat caduceo velificantes in fluminibus naues. Flumina importandis exportandisque mercibus commoda plura Gandauum habet, quàm vllum in Europâ emporium. Sex numerantur, quà naturæ beneficio concessa, quà ingenti labore ac sumptu effossa. His subsidiis ad eam magnitudinem excreuit, quam Europæarum vrbium paucæ æquant, vix vllæ superant. Neque dubium vel in primordiis id erat, cùm ad eam ampliandam honestandamque tot Numina conspirassent. Addidit tamen Iuppiter de cælo oraculum, quo suum ipse fauorem addiceret, aliorum confirmaret:

*Alostū & Dendermondam.

Ita Froissardus & Meyerus.

Gandenses doctrinâ & sapientiâ clari.

Gandaui laus à mercaturâ, opibus, & magnitudine.

BELLO, OPIBVS, STVDIIS, SIC DI VOLVERE, VIGEBIS.

Inscriptio tabulæ.

Ad tabulæ latera in extremâ coronice, hinc Nobilitatem, hinc Abundantiam collocarant. Nobilitati paruam de more statuam Palladio non absimilem; Abundantiæ cornu Copiæ dederant. Illi veteris-Burgi, huic Flandriæ insignia. Est vetus-Burgum inter cetera Flandriæ territoria nobilissimum: neque in eo quisquam qui nobili prosapiâ non sit, magistratum gerit. Vbertatem frustrà verbis commendem. In Flandriâ est.

Veteris-Burgi nobilitas.

Erant & infernè in lateralibus pegmatis binæ augustâ formâ statuæ. Altera Balduinum, altera Maximilianum Flandriæ Comites referebat, illum Orientis, hunc Occidentis Imperatorem, vtrumque bellis & victoriis clarum.

Flandriæ Comites Orienti imperant & Occidenti.

Deflectentem ad læuam Principem Diuæ Pharaildis forum, à foro porticus excepit. Columnas, arcus, fornices, & quidquid oculis patebat, arborum, quarum viror hieme durat, folia obtegebant. Grata erat hiberno tempore verna amœnitas.

Area D. Pharaildis.

MOLES SCENOGRAPHICA, VVLGO PROSPECTIVA.

Sed alia iam nunc moles scenographica aspectum rapiebat: non artificiosa minùs quàm superba. Quanta erat, auro argentoque radiabat. Fulgorem geminabat lux, quam è facum radiis collectam concaua ex metallo specula instar Solis ardentia euibrabant.

Principum nostrorum Maiores. Argumentum operi accommodatum. Stabant vtrimque inter columnas ſenſim decreſcentes longâ ſerie glorioſiſsimi Principum noſtrorum progenitores: proportione columnarum minuebatur ſtatuarum magnitudo. Quæ profundiſsimè in interiora diſceſſerant, aſpectum ferè fugiebant. Nimirum tam vetuſta Domus huius nobilitas eſt, vt primos auctores, niſi gloria immortales faceret, hodie inueſtigare deberemus. Nec exigua ea poſterorum commendatio eſt. *Quæ posteris à nobilitate commendatio.* Præſtat quidem propriis virtutibus, quàm maiorum nobilitate niti: eſt tamen non paruum diuinæ beneuolentiæ argumentum, in lucem venire felicem, & quæ perpauci longæ vitæ laboribus conſequuntur, à natiuitatis exordio domi parta reperire; ſi talis ſis, vt te natalibus tuis dignum præbeas, atque inde non tantùm notior, ſed & melior fias. *Saluſtius in bello Iugurt.* Rectè ille: Maiorum gloria quaſi lumen poſteris eſt: nec bona eorum, nec mala in occulto patitur. Si ignauus ſis, quod honori eſſe poterat, in dedecus vertis. Si generis ſplendori virtutem adiunxeris, quemadmodùm

Lib. 1. Æneid. vbi flauo
Argentum pariúſve lapis circumdatur auro,

ita rem pulcherrimam pulchriorem effeceris. Fruſtrà decora parentum iactas, quos, ſi viuant, tui pudeat. Fruſtrà imagines oſtentas, quorum virtutes non exprimis. Secus Principes noſtri, qui ipſi, velut viuæ quædam Maiorum imagines, id agunt, vt quam ab illis accepêre ſummam, tradant poſteris auctiorem familiæ claritatem. Eius rei ſpecimen in ſpeculis videre erat, quæ exceptum ab oppoſitis facibus lumen, multò deinde maius intenſiuſque remittebant. Congruebat epigraphe:

In FERDINANDO Maiorum eius viua repræſentatio.

FERDINANDO
HISPANIARVM INFANTI
IMPERATORVM REGVMQVE
MAIORVM SVORVM
LVCEM BELGIO REFERENTI
GANDA.

O felicem illum diem, quo poſt multos atros & luctuoſos hæc tandem nobis lux effulſit! O conuerſorum in melius fatorum indicium! O exorati Numinis argumentum! O terque quaterque felicem diem, qui optimos PHILIPPOS, fortiſsimoſque CAROLOS, hoc eſt, Belgium, Belgio reddidit! Nec enim de reditura priorum temporum felicitate dubitamus, cùm iſtius felicitatis cauſſam, Principem prioribus ſimilem receperimus.

Votum pro Rege & Ser. Infante. Sed quàm de recepto lætos, tam de conſeruando ſollicitos eſſe neceſſe eſt. Grates egimus quia conceſſus, vt relinquatur vota facienda ſunt. Ad te ergo preces conuertimus, ô ingens Hiſpaniæ decus & præſidium Magne Apoſtole IACOBE. Nec enim ambigimus quin, quâ curâ Hiſpaniam tueris, eâdem nunc & Belgium complectaris. Quoniam magna



SVRGERE QVÆ RVTILO SPECTAS INCENDIA CŒLO FERNANDI SVCCENDIT AMOR.

magna Hiſpaniæ pars eſt,vbi FERDINANDVS degit. Ad Te ſupplices tendimus manus; &, quæcumque ſperare poſſumus,vno comprehenſa voto poſtulamus.

D. IACOBO
HISPANIARVM TVTELARI
VOTVM.

O, CVI, QVOD NEQVEAT VINCI, GENS DEBET IBERA,
ET DEBERE CVPIT BELGICA SEMPER IDEM;
SI PLACET HANC ETIAM SERVARE, NEC ABNVIS ADDI
FLANDROS HISPANIS, MAGNE IACOBE, TVIS;
INCOLVMEM TERRIS SERVA, CVM FRATRE, PHILIPPVM:
NITITVR ILLORVM NOSTRA SALVTE SALVS.

D. Iacobi effigies moli insistens.

Diuus IACOBVS equeſtri ſtatuâ (qualis non ſemel Hiſpanis ſuis in acie manifeſtum ſe præbuit) operis faſtigio imminebat.Equi pedibus ſubſtrati Mauri,quàm fatale contra Diuos religioſoſque Diuorum cultores certamen ſit, teſtabantur. Latera leones claudebant vaſtâ ſpecie, altero pede erectum in oblongâ perticâ labarum, altero Regis Fratriſque inſignia ſeruabant.

Diurna spectacula nox festiuis ignibus excepit.

Exactum per ſpectacula pompamque diem veſpertinus triumphalium ignium ſplendor excepit. Magnus ad hos apparatus tum publicè,tum priuatim factus. Priuatorum ſtudia propoſitis à Senatu præmiis excitata. Quamquàm omni præmio acriùs ſua quemque lætitia ſtimulabat. Non tam paupercula domus fuit,cui ad augendam publicam celebritatem facultas non ſuppeteret.Ditiorum & maximè publicæ ædes funalibus,facibus,lychnis totæ collucebant. Per plateas ac fora ingentes mali cum pluribus picatorum vaſorum ordinibus erecti: vaſa variè picta exornataque. Malorum ſummitatibus alij ſerica vexilla, alij terreſtres marináſve feras vario artificio flammam euomentes, alij alia aut opificiorum aut mercimoniorum ſuorum ſymbola impoſuerant. Piſcium propolæ, ſignorum cæleſtium, Delphinis, Ceti, Piſcium ſimulacra, effinxerant. Quâ parte corporis aſtronomi ſtellas locant, exſecta in ſiderum formam foramina,ac deinde tenui ac pellucente materiâ obducta illatum in concaua tranſmittebant lumen,& velut ſtellares radios per noctem euibrabant. Sic & Lanij ingentis magnitudinis Taurum efformauerant.

IGNES ARTIFICIALES IN FASTIGIO TVRRIS.

At nihil illuſtrius fuit, quàm quod ad Diui Ioannis publico ære curatum eſt. Turris ſupernè plana arti fauebat, & ad quæuis quæ ex nitrato puluere humana machinatur induſtria,opportunitatem dabat. Primum ex columnis ad quatuor turris angulos erectis oblectamentum captum. Eæ in tubos excauatæ,dein ignitâ materiâ ſuffartæ, modò ardentes fumanteſque globos, modò liquidiſsimas magno numero ſtellas, modò cometas,modò faculas,modò contortos vario flexu angues in cælum eiaculabantur. Inter columnas ignis vi quatuor magno impetu ſtrepituque voluebantur rotæ; axe,radiis, curuaturâ grato horrore flagrantibus.Mox aliquot volantium facularum millia ſimul emiſſa,perque aërem latiſsimè

ſe diſpergentia, quamdam velut incenſi ruentiſque cæli ſpeciem præbebant. Multas horas tenuit ea ignium feſtiuitas, & diurni luminis defectum abundè compenſauit. Proximâ veſperâ non minore ſtudio ad illos reditum eſt.

Cardin. Infans in Conſulis ædes ſpectatum venit. Princeps eum Conſuli Ruddershouio honorem habuit, vt quæ & pro publicâ muneris ſui, & pro priuatâ dignitate apparari curârat, vltrò ad ipſius ædes ſpectatum venerit. Ante has diffuſa in vaſtiſsimam planitiem area eſt. *Hippodromus.* Hippodromum ab equorum curſu vocant. Hîc congeſtis ingentibus ſaxis arborumque truncis montem erexerant, qui pro Ætnâ *Aetnæ ſimulacrum.* eſſet. Vertex turbidos flammarum vortices eructabat. Per præcipitia voluebatur ignitis fluctibus torrens, molamque, quales ſunt quæ aquarum impetu verſantur, inſinuantibus ſe in machinam flammis rapidiſsimè rotabat: nec fontes deerant, qui fluidi ignis, velut aquæ, venas nunc longiori, nunc breui tractu, nunc per vnam, nunc per plures fiſtulas emitterent. Néve terreſtres tantùm aquas imitarentur, ingens minorum facularum vis in altum eiecta, cùm ſenſim, prout altiùs atque altiùs quæque aſcenderat, in terram recideret, labentem è cælo pluuiam referebat. *Vulcani officina.* In medio monte officina Vulcani erat,

Lib. 8. Æneid.

Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa ſonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtridentque cauernis
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat.

Hîc, vt ſemper,

Ibidem.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.

At modò feruebat præter morem opus. Ceteris, quæ inter manus erant, ſepoſitis, arma Ferdinando cudebant. De quibus inciſum rupi hoc epigramma:

TE LICET INVICTVM VIRTVS TVA, MAXIME PRINCEPS,
QVAMLIBET INFESTO FORTIOR HOSTE FACIT;
QVOD TAMEN ÆNEÆ MATER, QVOD MATER ACHILLI,
FERDINANDE TIBI IAM TVA GANDA PARAT.
TV VENERIS NATO SIMILIS, THETIDISQVE, SVECO
QVEIS BATAVVM IVNGAS, PROTINVS ARMA CAPE.


Altera ex Iuuenale epigraphe officinæ veſtibulo appoſita:

Sat. 8.

TV SIS
ÆACIDÆ SIMILIS, VVLCANIAQVE ARMA CAPESSAS.

Theatrū ad Palatij ingreſſum. Tandem ad triumphalium operum, ſimul & inſtitutæ narrationis finem accedimus. Secreui ab aliis, & in hunc locum reſeruaui, velut Principis hoſpitio propriam, theatralem molem ad Palatij ingreſſum, quà liberior aduentantibus aſpectus eſt, erectam, ſpecie ornatuque, magis tamen argumenti maieſtate auguſtam. Caroli Cæſaris natiuitatem exhibebat. Pueri fata futurumque vitæ modum, quæ ferè Genethliacorum carminum materia eſt, lectiſsima vrbis iuuentus in ſcenæ morem ordinata ſub aſpectum dabat. Summam continebat operis dedicatio.





DIVI CAROLI

BENE OMINATIS NATALIBVS; QVEM GANDA ORBI EDIDIT, VIRTVTES EXCEPERVNT, REGNA ET IMPERIVM SIBI VENDICARVNT, FERDINANDVS BELGIO PROMITTIT.

eius dedicatio.

Schema hoc erat. Supremâ theatri parte, quod ſexaginta pedes latum in mediam altitudinem per gradus aſſurgebat, aureis in cunis iacebat auguſtus infans, illi non abſimilis, qui *Caroli cunæ adumbrata.*

tener in cunis iam Ioue dignus erat. *Ouid. Heroid. epiſt. 9.*

Cubantem expanſis leniter pennis obumbrabat Aquila, fauſtiſsimum de cælo omen ſimul & Imperij coronam deferens. Ganda cunas complexa, tantiq́ue exortu Principis ſuperba, illud iactare videbatur:

Hinc Domus AVSTRIADVM cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Affremebat lætùm ferociens LEO. FLVVII glauco amictu, arundine paluſtribuſq́ue herbis feſtiuè exornati, omnibus vndis applaudebant: quaſi intelligerent in ſe quoque & vrbem ſuam nati Principis eiuſq́ue poſterorum gloriam aliquando redundaturam. Aſtabant illi longâ ſerie PHILIPPI, CAROLI, FERDINANDI: magnifico Regiorum puerorum Procerumq́ue comitatu. Proxima MAIESTAS, coronâ ac Regio ſyrmate inſignis, venerabundos præcipuarum gentium GENIOS ad cunas adduxerat, munera ſimul & obſequia deferentes. Habitus cuique pro ſuæ gentis more. Hiſpani coronas Regias, regnorumq́ue in Hiſpaniâ plurimorum ſceptra; Indi verſicoloribus plumis ſeminudum & fuſcum corpus tecti, aurum argentumq́ue, gemmas item & baccas & corallum in pateris aureis; Itali cum diademate coronâque aureâ, ferream etiam in Longobardorum Regum olim, nunc Romanorum Imperatorum inaugurationibus adhiberi ſolitam; Germani orbem gladiumq́ue cum aquilâ & Imperij ſymbolis; Burgundi aureum Vellus & ſolemnem huic ordini cultum; Belgæ denique hinc quam eorum Duces, inde quam Comites geſtare ſolent coronam afferebant. Regnorum ditionúmque inſignia magno artificio ſumptúque ſculpta, elegantes pueri Romano habitu in theatri ſummitate ſuſtentabant, pari in pueris atque inſignibus auri argentíque fulgore. Proxima MAIESTATI FELICITAS floribus aſperſa, veſtem capútque euincta; flores item manu prætendens, certiſsima florentis ridentíſque fortunæ dabat argumenta. Huius latus claudebat ABVNDANTIA, Copiæ-cornu in ſecuturæ vbertatis ſignum largiter effundens. Comes illi candida PAX niueâ in veſte, virenti ex oleâ ſertum caduceúmque gerens, bellicis exuuiis inſiſtebat: atque in certius publicæ quietis inſtaurandæque concordiæ argumentum, duo, quos ex habitu apparebat hoſtiliter fuiſſe infenſos, poſitis ante pedes armis in gratiam redibant. Extrema ſtabat VICTORIA loco maximè conſpicuo, tamquàm certiſsima maximeq́ue illuſtris futura CAROLI Comes. Veſtis illi rubra & quaſi recenti ſanguine imbuta, niueæ & auſpicati ominis alæ. Galeæ laurum implicuerat. Laurum item læuâ geſtabat, dextrâ labarum cum hac inſcriptione:

Poſteri. *Maieſtas.* *Regnorũ erga eũ ſtudia.* *Felicitas.* *Victoria.*

CAROLO V. ÆTERNVM VICTORI S.

Plures hinc atque inde GENII detracta hostibus spolia, galeas parmasque & truncis tropæis affixas loricas, victarum item triremium aplustria, auulsaque cum velis rostra, Austriacis affigenda postibus Diuæ certatim porrigebant. Omnia venturo sæculo lætari diceres, omnia nouam orbi felicitatem sub hoc Principe eiusque secuturâ progenie polliceri. In fatis sic esse testabantur PARCÆ, quæ in inferiori theatri gradu aurea puero nebant stamina.

Catullus in nuptiis Pelei & Thetid.

His corpus tremulum complectens vndique vestis
Candida, purpureâ talos incinxerat orâ.
At roseo niueæ residebant vertice vittæ;
Æternumque manus carpebant ritè laborem.
Læua colum molli lanâ retinebat amictam,
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis. Tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera, virgati custodibant calathisci.

Ipsas hianti in cantum ore veridicum fundere oraculum crederes, diuino carmine,

Carmine perfidiæ quod pòst nulla arguet ætas.

Neque sub PHILIPPIS hactenus, FERDINANDISque arguit: quibus reseruant Superi, si quid ad CAROLI fata fortunamque addi potest. In proximâ tabellâ legere erat:

Virgil. eclog. 4.

TALIA SÆCLA, SVIS DIXERVNT, CVRRITE, FVSIS,
CONCORDES STABILI FATORVM NVMINE PARCÆ.

Altera theatri pars ex CAROLI virtutibus nonnullas repræsentabat, publico orbis testimonio in ipso & in Austriacâ gente singulares. Prima FORTITVDO BELLICA, armatæ Palladi non absimilis, confugientem ad se Religionem obtento desuper scuto protegebat, librato in ictum gladio hostes absterrens. Hanc tiara reliquusque sacrorum ornatus, socias parmæ cruce armatæ, sacri codices, acerræ & id genus religionis symbola insignibant. Vrgebat pauidas premebatque HÆRESIS, colubris & serpentibus vittata. Illi se comites adiunxerant impius FVROR & scissâ veste discors REBELLIO, Principum placita decretaque dentibus lacerans. Hæ pestes non iam occultis artibus, quasi clàm sparso veneno, sed aperto Marte aris sacrisque moliebantur perniciem, eò adductis vesaniæ populis, vt pro impietate non aliter, quàm pro aris & focis eorum maiores, in mortem pugnamque ruerent. Solabatur confirmabatque RELIGIONEM periculo anxiam hoc de CAROLO oraculum:

Fortitudo, Religio, Hostes,

ARASQVE TVEBITVR IDEM.

Pugna,

Omnem metum eximebant concurrentes in imo theatro GEMINÆ ACIES; quarum altera victrices aquilas & Austriaca gerens signa, per ipsa cæsorum hostium cadauera fugientes insequi, & similem ruinæ stragem edere videbatur. Pugnam, non pugnæ simulacrum diceres. Imminebant mutuis corporibus oculo irretorto defixi pugnatores: cohærebant inter se arma: in ipsa ora directi fulgebant mucrones: cæsi duces militesque passim iacebant vulneribus deformati, aut in ora proni prout dimicantes occubuerant, aut auerso vulnere turpiter saucij. In extremo agmine cadentium fugientiumque summa consternatio. Nonnul-

los

los pudor & obstinatus in tam turpi caussâ mori animus à fugâ cohibebat. Plures cum salutis spe, arma quoque indecorè abiecerant.

At non fortior in hostes CAROLI VIRTVS quàm lenior in victos CLEMENTIA. Illa coniuratorum duces positâ iam ferociâ supplices in gratiam admittebat. Et quoniam mollibus remediis quædam ingrauescunt potiùs quàm curantur mala, IVSTITIA & IVDICIVM quasi ius dicturo Principi & lenitatem seueritate temperaturo tribunal apparabant. Rem vniuersam carmine complecti, & nato Principi genethliacon de more accinere visum est. *Clementia.* *Iustitia.*

DIVO
CAROLO AVSTRIACO
APVD GANDAVENSES NATO
GENETHLIACON.



Anda faue. da thura focis. da munera templis,
Qualia nec domitis hostibus antè soles.
Iam bello partos superas in pace triumphos;
Teque aliquid, quamuis maxima, maius habes.
Quem maria & terræ, quem mox sibi regia cæli
Vendicet, ille tuâ nascitur vrbe puer.
Vicini colles, vicinæ assurgite siluæ:
Spiret Blandiniis mollior aura iugis.
Lysa pater, tuque ô Flandrarum rector aquarum
Scaldi, iube fluctus puriùs ire tuos.
Nunc amnis celebris, nunc inter flumina, magnum
Quæ subeunt pontum, nobile nomen eris.
Nec tibi se Tiberis, quamuis cum fratre Quirinum
Dicitur innocuo sustinuisse vado,
Nec veneranda sacri se præferat vnda Numici,
Æneam quamuis fecerat illa Deum.
At tu vitales almi sub luminis auras
Edite, spes hominum, CAROLE, cura Deûm,
Accipe quid tibi fila ferant fusique sororum,
Præscribant vitæ quem tibi fata modum.
Quas nec nouerunt alij, moderabere terras:
Surget in imperio noxque diesque tuo.
Et proauis tu multa licet, tibi plura Nepotes
Debebunt, per te qui caput orbis erunt.
Principe Te lætæ, tibi debita munera gentes
Obsequiique sui pignora certa ferunt;
Et dominas flexo venerantur poplite cunas,

Iam nunc, neſcio quid, Numinis inſtar habes.
Miſſus ab excelſo Iouis armiger ales olympo
Hæſurum auguſtis fert diadema comis.
Suſcipe dona Deûm, populiſque adoleſce regendis:
Vel teneras poterunt ſceptra decere manus.
Sceptra quidem tibi mox, ſed erunt ſimul arma gerenda.
Gallia tranquillos non ſinet ire dies.
Bella, puer, video, crudelia ſurgere bella;
Et coniuratos in tua fata Duces.
At tu, ne terrere nimis. Dant bella triumphis
Materiam. Gaudet ſanguine nomen emi.
Rex animis armiſque ferox in prælia ſurget,
Et tibi, Pelidæ quod fuit Hector, erit.
Ecce per aërios rapit arduus agmina montes,
Nec timet Alpinas primus inire niues.
Iam tenet Italiam, turmaſque laceſsit Iberas.
Quid facis? inuictas gens habet illa manus.
Stant acies. dant ſigna tubæ. concurritur. Eheu!
Ticini quantum ſanguinis vnda vehet!
Exitus in dubio eſt. Perimuntque, caduntque viciſsim:
Sed tamen indomitus fortius vrget Iber.
Fit fuga. Rex capitur. Sequitur victoria cauſſam,
Auſtriacáſque Aquilas, notáque ſigna petit.
Maxima quæſita eſt; maior modò gloria reſtat.
Poſt hoſtes, animum, CAROLE, vince tuum.
Et bellum & belli victoria finiat iram.
Vindicta eſt Regi pulcra, fuiſſe pium.
Cauſſa quidem iuſta eſt. ſed ad arma venire coactum,
Amplecti pacis fœdera ſponte decet.
Pax placet. Exhauſti bellis gaudete coloni;
Atque oleæ lætas cingite fronde comas.
Innocuo gladium miles commutet aratro:
Occupet in tenebris tela cruenta ſitus.
Quid loquor? Illa atris ſquallens ſerpentibus, illa
Quæ vitiat purum vipereo ore diem
Hæreſis, erumpens dirarum ex ſede ſororum,
Inſidias alias & noua bella parat.
CAROLE, quid ſperas in tempora longa quietem?
Hoſtis adeſt. turmas ad ſua ſigna voca.
Ecce rebellatrix Germania cornua tollit,
Et domini ſumit in caput arma ſui.
Sed non & ſumpſiſſe volet. Dabit improba pœnas.
Nemo in Te poterit perfidus eſſe diu.

Parce

Parce tamen, poſito ſi quando furore, ſceluſque
Faſſa, tuos ſupplex concidat ante pedes.
Vincere multorum: proprium non perdere victos
Sit tibi. Proximior gloria nulla Deo eſt.
Fulminat ille quidem; ſed paucos fulmina lædunt.
Contenta eſt ſolo Numinis ira metu.
Sed tamen interdum nocet & clementia. Multis
Ferri acies, multis attulit ignis opem.
Tu quoque ne nulli ſis implacabilis. hoſtem
Crede tuum, quiſquis relligionis erit.
Relligio paſsis ad te miſeranda capillis
Confugit. heu quantis fluctuat illa malis!
Et tamen, Odryſio quæ ſeruit terra tyranno,
Pacem habet, & felix impietate ſuâ eſt,
Et veteres clades, & noſtri probra recenſet
Nominis, & magnum ridet inulta Deum.
Vade age, damnatis infer pia gentibus arma
Biſtonios vltra, Sarmaticoſque ſinus.
Hîc odia, æternaſque gere implacabilis iras.
Hac cauſsâ pulcrum crede piumque mori.
Soſpite Te, Scythicas paueat Germania lunas?
Auſtriaco rutilent Turcica ſigna ſolo?
Soſpite Te, infames populentur littora claſſes
Itala? ſint populis æquora clauſa tuis?
Dî melius. Vertes hoc ipſos omen in hoſtes,
Captaque cum dominis barbara roſtra trahes.
Per medias acies, Libycas penetrabis in vrbes;
Accedet titulis Africa terra tuis.
Fallor? an Iſmariis video ſtare agmina campis,
Byzantique arces, mœniaque alta quati?
Me miſerum! cur hoc aliquis noſtro inuidet æuo?
Succeſſuſque tuos propria damna putat?
Quiſquis is eſt, precor vt ne ſit ſine vindice; quæque
Hoſtibus inferri non ſinit, ipſe ferat.
Nec tamen impediet trans Gangem victor & Indum,
Extremo ponas quin noua iura mari:
Herculeaſque vltra metas, Bacchique labores
Auſtriacum nomen imperiumque feras.
Eueniet. Dominæ fatorum, talia, Parcæ
Dixerunt fuſis, currite ſæcla, ſuis.
Tum Te ſublimem titulos ſuper atque tropæa
Ad cælum niueis fama leuabit equis.
In tua certantes ibunt encomia vates.

Hei mihi! nil magnum quod mea Muſa ſonet.
Non maiora tamen laudum monumenta tuarum,
Quàm benefacta tuæ poſteritatis erunt.
Ergo vbi de patrio terras ſpectabis olympo,
Quæque animis fuerant regna minora tuis,
Aſpicies illic dignos Te Patre PHILIPPOS,
Quorum vita, ſalus duplicis orbis erit.
Aſpicies CAROLOS, æternaque FERDINANDOS
Nomina, in Auſtriacum nomina nata decus.
Quorum aliquis proauum Belgis vt reddat, & æuo
Olim reſtituat per tua facta tuum,
Annue cum reliquis de cælo CAROLE Diuis.
Poſt tua, ſic etiam, fata ſuperſtes eris.

Hic ſpectaculorum operumque finis fuit, quibus Gandauenſes ſuam erga FERDINANDVM voluntatem ipſi nuper, nunc orbi poſteriſque teſtatam voluerunt.

Quarto pòſt die quo animo venientem ſuſceperant, abeuntem proſecuti ſunt. Dominus Ioannes vander Speete vrbis Syndicus, cuius prudens facundia tam frequenti huius muneris iteratione exhauriri non poterat, his eum verbis extremùm allocutus eſt:

SERENISSIME PRINCEPS,

Niſi inexplebili tui deſiderio flagraſſemus, ſatiaſſet illud benignitas quâ Te nobis indulſiſti. Sed vt ſitis longo tempore collecta modico hauſtu accenditur magis quàm ſedatur, ita tui videndi ardor videndo creuit. Magnum aduenìens deſiderium excitâras, maius relinques. At vbicumque locorum eris, amor Te nobis præſentem ſiſtet. Sublatus ex oculis, animis obuerſaberis. Tu quoque tot inter curas, quibus ſalutem ſuam Belgę debebunt, memoriam noſtri Tibi nonnumquàm ſine recurrere; & quæ coràm vidiſti ſtudia, benignitate tuâ abſens foue.

His cùm FERDINANDVS benignè reſpondiſſet, Senatu armatiſque ciuium cohortibus quoad par erat proſequentibus, Aloſto Bruxellas diſceſsit. Breuî ſit, vt ſperatis victoriis cumulatus amantiſsimos ſui ciues reuiſat, adeoque propenſis in laudes ſuas animis nouos quos celebrent triumphos, noua ſufficiat gratulandi argumenta.

SE-

SERIES TABVLARVM.

SVMMA CAPITA

TOTIVS HISTORICÆ NARRATIONIS.

Mm

Tabu-

SVMMA CAPITA TOTIVS HISTORICÆ NARRATIONIS.

FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Soc. IESV per Flandrobelgicam Præpositus Prouincialis, potestate mihi ab admodùm R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali factâ, concedo vt *Triumphalis Introitus Serenißimi Principis* FERDINANDI *S. R. E. Cardinalis, Hispaniarum Infantis, in Flandriæ metropolim Gandauum, Illustrißimi eiusdem vrbis Senatus curâ ac sumptu, aneis tabulis expressus, atque à Guilielmo Becano nostræ Societatis panegyricè descriptus,* à Ioanne Meursio Typographo Antuerpiensi excudatur, atque ad perpetuam victoriosi Principis memoriam, ac publicæ spem felicitatis, vulgetur. Antuerpiæ 14. Ianuarij, ann. 1636.

FREDERICVS TASSIS.

APPROBATIO.

QVod Regi debent tam cari illi subditi, numquàm exsoluent. Gandauenses suam erga eum voluntatem* in triumphali in Flandriam Introitu Ser. FERDINANDO *ostenderunt, nunc orbi exhibent. Quod bono atque exemplo publico fieri censeo. Gandaui Nonis Aprilis, anno salutis* M. DC. XXXVI.

GVILIELMVS ARENTS
Archid. Gandensis L. C.

Cum Priuilegio Regis Hispaniarum, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 18. Iulij, Anno M. DC. XXXVI.

Signat.

P. COOLS.

